













4692

2

ΕΙΣΑΓΩΓΗ
SEV
INTRODVCTIO
FACILIS IN PRAXIM
artificiosæ Memoriæ.

A. D. I. PAËPP GALBAICO.

Plato in Epiſtola ad Dionyſ.

Μεγίστη δ᾽ φυλακὴ, τὸ μὴ γράφειν, ἀλλ᾽ ἐκμανθάνειν, οὐ γάρ ἐστι τὰ γραφέντα μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν.

Maxima ſtudiorum eſt conſeruatio, ſi non ſcribantur ſed ediſcantur: fieri enim non poteſt quin ſcripta nobis excidant.



LVGDVNI,
Sumptibus Auctoris: & venundantur
Apud Bartholomæum Vincentium.

M. DC. XIIX.

Cum Priuilegio Cæſareo, & Gall. Regis.





ILLVSTRIBVS, GENEROSIS, ANTIQVISSIMÆ NOBILITATIS,

amplissimæque spei adolescentibus D.D. Georgio. D. Ottoni, & D. Tychoni Kruusse fratribus, totius Noruegiæ Proregis filiis &c. Nec non D. M. Michaëli Mauritio Stauangrio eorundem Dominorum Ephoro, viro Doctissimo iuxtà ac Prudentissimo.

S. P. D.



ΑΥ̃ΛΟΣ ἀνὴρ ἐςὶ τετρημένος εἰς ὃν ἅπαςας
Ἀντλῶν τὰς χάριτας, εἰς κενὸν ἐξέχεας.

Tale Luciani dolium Domini Generosissimi ne sim, neque vnquam euadam, quanta potui hactenus maxima allaboraui, imposterúmque allaborabo diligentia. nam nullum æquè atque ingrati odi vocabulum, vsque eò vt omne illud tempus mihi diuturnum molestum ac penè intolerabile videatur, quo optimè de me meritis nullum grati animi indicium, vel testimonium præbere possum. Et hæc vel vna ex præcipuis causis fuit, cur hic opinione longiore substiterim tempore. Nam quo fato acciderit diuinare non possum, quod eodem tempore, eodem die, eadémque hora Vos nuper ex Allobrogibus, ego ex Prouincia incurius

Vestri

Vestri Lugdunum Gallorum venerimus, quin immo in idem inciderimus hospitium, cum tamen longo tempore, nec Vos de me, nec ego de Vobis certior fieri potuerim vbinam gentium ac terrarum versaremini, licet & Vos, ac ego præsertim hoc vehementer scire desiderassem. Sed plane diuinitus rem, mihi frequenter hæc cogitanti, sic cecidisse persuadeo. quippe vt ille Vester, quem frequenter testati estis, nullo tempore, elangueat, tepescat, ac emoriatur mei amor & huic fouendo, si consulto facta cessarent, ipse etiam seruaret casus. Vos arrepta hac occasione me summa cum beneuolentia, humanitate, liberalitatéque suscepistis, socium

mensæ habere voluistis, & omnibus illis diebus quibus hîc substitistis, ne à Vestris, discederem lateribus passi estis. Et cum hinc in vlteriorem Galliam pergeretis à me non semel vt itineris vestri comes essem petiistis, at cùm hoc quà per valetudinem, quà per alias nonnullas priuatas causas non liceret, me multis muneribus affectum ad vos inuisendum cùm commodè per valetudinem & per anni tempus fieri posset, inuitastis. hanc vestram humanitatem, beneuolentiam, liberalitatémque cum frequenter ad animum reuocarem, & quî me pro ea gratum præbere possem, si in vos incurrerem, sæpe numero pensitarem. contigit vt Parisiis, ex Italia, Lotharingia.

aliisque locis non tam ad me, quia ignotus, quam ad Bibliopolã literæ darentur quibus obnixè petebatur vt aliquod opus aliis dilucidius de Arte Mnemonica ipsis communicaret, quod cum mihi significaret eâmq; ob causam me alij multi sollicitarent, suscepi hanc prouinciam eo libentius, quod me aliquam occasionem adeptum putarem memorẽ meum animum vestri, vestrorũque beneficiorum publicè testificandi. Verum enim vero vt bonis gratum hunc meum laborem futurum certo scio (nam multi summo cum desiderio, ne dicam impatientia, finem operis expectant,) sic multis inuidis calumniandi ansam daturum vix dubito, ac præsertim iis

macilentis externuatis, pallidis, ore biantibus, ad terram despe-ctantibus, quos ij bacillo, quos te-nent, percutiunt. Quare ad Vos Generosi admodum Domini con-fugio, vt Vestro decore, doctrina, nobilitate, auctoritate, quod huic meæ chartæ deest suppleatis, & Vos tanquam muros firmissimos oblatrantium arietibus opponatis, eorúmque liuidos conatus infrin-gatis, ac debilitetis. Et hoc non so-lum per Septemtrionem vbi im-peratis, sed etiam per totam Euro-pam, vbi plurimum vestra au-ctoritate valetis, ídque cùm ob præclara gesta virtutésque ma-iorum, cùm ob proprias, Patrem enim Illustrissimum habetis Gene-

rosissimum

roſiſsimum, Magnificum, ſtrenuúmque Heroem D. D. Enualdum Kruuſſe, virum doctiſsimum totius Noruegiæ Proregem digniſſimum, Regníque Daniæ Senatorem Sapientiſsimum, cuius ego prudéntiam vel in eo maximè agnoſco & deprædico, quod Vobis Magiſtrum Aulæ præfecerit virum πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. verêque prudentia ac eruditione rarum. D. M. Michaëlem Mauritium Stauangrium Theologia, Philoſophia, omnibus literis, ac politioribus ſcientiis ita eruditum; vt haut ſciam an alius cum eo conferri, nedum ei præponi poſsit. hoc vel hinc patet, vt alia ſilentio inuoluam, quod præter vernaculum

Danicum Noruegicumque idioma, Anglicum, Belgicum, Germanicum, Gallicum, Hiſpanicum, Italicum, Latinum vereque Romanum, Græcum, Hæbraicum, ita familiaria ſibi reddiderit idiomata, vt omnibus hiſce non duntaxat loqui, ſed purè, tersè, eleganterque ſcribere poſſit. Quem vos felicius imitantes (quam Alexander Magnus, teſte S. Hieronymo, Leonidem Pædagogum ſuum) etiam omnes has linguas, ſi ab vna alteraue eruditiore abiero, ita breui temporis ſpatio vobis notas feciſtis, vt ſúſque déque vobis ſit quacúmque tandem harum linguarum quis vos alloquatur, ac in his Mithridati Regi Pontico & Bithyniæ comparari poſſitis, qui

viginti & duabus gentibus quibus imperabat sine interprete iura dixit, eorúmque linguas percalluit. Plin.li.2.c.25.Sol.c.7.Plut. in Lucullo.Val.Max.lib.8.c. 7. A. Gell: li.17.c.17.Sabell.li.10.c. 9. Sequimini itaq; Domini Generosissimi huius vestri Ephori Prudentissimi ductum, salutaréque consilium in omnibus rebus, vt florẽ totius Græciæ sequentem, Jasonem in Corchidem pergentem, fecisse legitur, ac multo maiori cum lætitia, maioráq; itineris vestri præmia, in patriam reuehetis. Sed quia Epistolæ terminos impolita loquacitate produxi, propositum meum inhumana concinnitate transgressus sum. pedem hîc figo, & me Vobis

quàm studiosissime commendo, atque hoc opusculum leuidense crassissimóque filo ob penuriam temporis contextum, offero. Sperans Vos Artaxerxis personam assumpturos, ac hoc quale quale grati animi mei erga vos signum serena fronte suscepturos. Lugduni IV. Calendas Aprilis Anni cIↄ Iↄc XVIII.

Vester ad omnia paratissimus cliens.

Ioannes Paëpp.

Dictum est in Epistola Dedicatoria, Auctores artis Mnemonicæ difficiles intellectu, nec modo intellectu quod tolerabile. *Artium enim studia*, Cicerone teste, *ferè reconditis atque abditis è fontibus hauriuntur*. Sed quod minus ferendum difficillimas lectu. Vt igitur hos auctores si fortè in illos incurras intelligere possis, accipe amice lector clauiculam qua illorum scripta aperiuntur ac deteguntur.



FALVCO NIVALCA.

1. LEgendum ſeroma focis barbæho.
2. Alpha & omega ſunt laſos vitor.
3. Idque etiam in dict.oſiſis ouidi.
4. Si in dolubacoui q.itaro eruccos 1. reg. amucoli non habet, ſed cygnus in illa tantum caballyſo.
5. Hæretila ſingulæ ſing. num. denotant.eædem gemi.pl.
6. Gen:ca:mod:temp: & alia datus obirttas, ex luſneſi facilè colliguntur:

a amulube macoue
b oſras
c codrot
d emuluca ſibuco.
e daitnem etneſi.
f amuit ecapſo.
g bogamir

h aſcirape

h aſeirape
i vanoſrepo
k emuſrodi
l aſumodi
m imuis ſtice orexes
n aſulugnas.
o lairomemi.
p damroſe
q oſedeſi
r afixarpe
ſ omutnemi badnuſa
s aſucoli
t bogamin
u rogamis.
v uſucolæ
x farreto.
y amuitſos
z amulucato epecera.

A eſucis itemhtiras,
C emutſaca
D emuuite ocnita iſido
F parti cſeneſa
G & Gr. facitamo emargo

Iaſui

I aſuirano bigamie.
K emuxi fennoca.
L aſurali
N. aſuremuni
P. Omuite galapo.
R. boitis otepera.
T. aſuruaſehti.
V. amuirato enułoui.

Adi.emutca onuidas.

&.foitatica.
d& toitato ſcido
diu. poiſis euido
ep. galori oſipes.
LG aſucigoli
Mph.aſuciſyho epatemo
Or:roitaros
Ph.eſuciſyhpo
Pr. { amenos enorpo vel
laidos eſorpo }
Rh. Laciror etehre
Ru.ſatnemis edure
Sy.eſixato anyſi.

Ve.emubreui.

{ baereco
ſalednaca.
vanlus.

2. aſungyco.

3. eſuluge onairte.

4. aſuluga inardo aquas.

5. eſunami.

6. falletſe.

7 lamroni vel aſiruceſo

8 exilacu

9 dunroca

o. { aſulunnas
exemota
eſulucrico.

Regulæ explicationis clauiculæ.

1. Legendum mone hæbraico, puta, ordine retrogrado.

2. Alpha & omega ſunt otioſa, id eſt, primæ & vltimæ literæ vocabuli in legendo non habetur ratio.

3. Idque etiam in dictionibus diuiſis.

4. Si

4. Si in Vocabulo Q. occurrat prima regula locum non habet, ſed ſecunda tantum, hoc eſt, non legitur more hæbraico, ſed prima & vltima duntaxar litera negligitur.

5. Literæ ſingulæ ſingularem numerum denotant, eædem geminatæ pluralem.

6. Genus caſus modus tempus, & alia attributa ex ſenſu facilè colliguntur.

a. Vocabulum. b. ars. c. ordo, & ſic iu cæteris.



EPIGRAMMA.

In laudem artificiosæ Memoriæ.

Temporis vt longi ſpatio præcepta teneri,
Et poſſint animo fixa manere tuo;
Hanc lege collectam memorandi gnauiter artem,
Qua ſine, iudicio mens hebet ipſa ſuo.
Hæc eſt ingenij lumen, cuſtóſque laboris;
Erigit hæc ſenſus, intrepidóſque facit.
Nec tu contemnas, Cicero quod voce diſerta
Comprobat, & verbis ornat vbique ſuis.
Et quod Simonides, ſeu Metrodorus, vt aiunt,

Inuen

Inuentum cura gaudeat esse sua.
Quod vel Aristoteles diuinum credere munus
Non dubitat: Sophicæ gloria prima scholæ.
In quo Carneades totis laudatus Athenis
Floruit; & Senecæ vis memoranda fuit.
Rhetores hæc firmat, iuuat hæc ars iura volentem
Discere: vix aliud Pallas amauit opus.

ALIVD.

ALIVD.


Quid prodeſt ſtudiis noctes diéſque vacare,
Voluendíſque diu ſeſe onerare libris.
Si mox ex animo, quæ legeris, illa recedant.
Rerum ac verborum nec meminiſſe queas?
Namque ea duntaxat memori quæ mente tenemus
Scimus; at oblitis tempus inane fuit.
Ergo quiſquis aues tanto ſuccurrere morbo,
Mnemoſinen mira prouidus arte iuues.

PEr actum publicum coram Notario iurato. D. Ioãnes à Paëpp Galbaicus. author præsentis libri, cedit, & resignat D. Bartholomæo Vincentio ciui & Bibliopolæ Lugdunensi Priuilegium Cæsareum & omnia iura, tam pręsentia quam futura, quæque habet & habere poterit, idque per spatium decem annorum inchoando & computando ab ipso die quo impressio fuerit absoluta.

Extraict du Priuilege du Roy.

SVyuant le priuilege & mandement de S.M.à tous Preuosts des terres de son obeissance & à tous ses amés Iusticiers & Officiers,& à chacun d'eux ainsi qu'il appartiendra, est permis à Barthelemy Vincent Marchand Libraire à Lyon, d'Imprimer vendre & debiter les liures intitulez. *Fundamenta Artificialis memoriæ. Vita Ciceronis in Epitomen secundum artem Mnemonicam redacta.Et* εἰσαγωγὴ *seu introductio in Artificiosam memoriam.* durant le temps & espace de neuf ans à commencer du iour & datte de ladite Impression paracheuée,auec deffences à toutes personnes de quelque estat,vacation & condition qu'ils soyent d'en vendre ou debiter ny d'en estre saisi d'vn ou plusieurs exemplaires autres que de ceux Imprimés par ledit Vincent,à peine de confiscation des exemplaires, & autres peines portées par iceluy, qui fust donné à Paris les iour,mois & an y contenu, Signé & deuement seellé du grand seel de cire iaune.

Acheué d'Imprimer le dixiesme Mars 1618.







DIALOGVS I.

De verbis notis.



PHILOSOPHVS. Longè itur per præcepta, inquit princeps Stoicorum, breuis autem & compendiosa est via per exempla, quod cùm in aliis artibus ac disciplinis locum habet, tùm vel maximè in mnemonica verum esse cernitur. quot enim ab Aristotele, Cicerone, Quintiliano, D. Thoma, Tritemio, Lullio, Gratuloro, Rauēnate, Spangēbergio, Marafioto, Sennecto, Sebaldo Smariguso, Ioanne Romberch, Gregorio Reisch, Nicolao Simonis ex Vveyda, Iordano Bruno; Paulo Rosello, Conrado Celte, Melchiore Iunio, Hieronymo Teutlero, Adamo Bruxio, Kekermanno, Ioanne Alstedio in diuersis operibus, Schenckelio, cæterísque conscripta sunt pręcepta, & tamen quam pauci ipsius artis secretiora penetrarunt. quare mea à te summa petitio est,

vt intellectis mihi ipsius artis fundamentis, etiam ipsum exercitium, siue praxim rudi minerua exponere digneris.

Philomusa. Hoc quamuis puerile, & à quotidiano vsu abhorrere videatur, tamē tibi ita petenti obsequar, & quam possum apertè breuitérque ob oculos ponam vt etiam stupidissimus quisque mortalium hoc manibus palpet, & quomodo rem aggredi debeat, aduertat.

Nomina itaque familiaria ac quotidie obuia septem modis memoriæ imprimuntur.

I. Cum solo loco & ordine nos iuuamus absque vlla prorsus imagine, quo vtuntur nonnulli & satis feliciter, sed minori cum fructu quam sequentibus.

II. Per scripturam, cùm illas dictiones quas menti infigere animus est, magnis aureis literis, aut alio insigni colore memoriam facilè ob excellentiam, vel nouitatem excitante, in loco describimus, ita vt cum animum applicamus, ac rem positam repetere volumus, adeo promptè in memoriam reuocemus ac legamus, quasi non imaginariè, sed reuera materialiter ibidem essent depictæ.

III. Per imaginem, cùm simulachrum nominis

nominis lecti vel auditi nudè collocamus.

IV. Cùm & imaginem & ſcripturam in loco collocamus, qui præcedentibus quidem efficacior; ſed propter multitudinem imaginum incommodior.

V. Per diuiſionem, ſi integrum verbum non habeat imaginem, id in duas, tres, quatuor diuidemus, ac tam diu tentabimus, quo ad vſque aliquam vel aliquas inueniamus imagines, ſed de hac infra latius.

VI. Vt poſtquam alphabetum, quod locorum ac ordinum inſtar eſt, memoriæ mandauerimus, ex eo dictionem, non ſecus quam ex ſyllabis componamus.

VII. Voces inſigni aliqua actione adiuncta, memoriæ commendentur, qui modus locis realibus vtentibus vtiliſſimus. Sed παραδείγματος χάριν locorum realium in Imperatoribus. tu ex his coniectura facilè duceris ad alia ſimilia vel meliora.

Imperatores ſi collocare velis, eos vt ex catalogo deſumas emendatiſſimo, tibi auctor ſum, non ex Schenckelio detecto, in quo præterquam quod Vitellius omittatur. Conſtantinus Pogonatus Heraclio

Constantíque mendosè præponitur, ſed & infinita propemodum alia tam in Catalogo Pontificum quam reliquo opere vitio typographi irrepsêre menda, quorum cum 60. circiter ſtomachabundus collegiſſem, libello ad me poſt impreſſionem primùm perlato, ac ea ipſi bibliopolæ obtuliſſem, vt ad calcem apponi curaret. typographus id recuſauit, indignum inquiens tam paruo libello tot in calce addi vitia. imo ideo librum minus vendibilem bibliopolæ perſuaſit. Sed quid actum agam? ac quantum Reipublicæ literariæ per negligentem typographiam adferatur detrimenti quid recenſebo? cum in eo verboſi ſatis Manutius aliíque fuêre, vt non niſi per violentam manum corrigi poſſe videatur.

Pontifices igitur, Imperatores, Reges ſi memoriæ committere velis, Catalogum ſumas ſine errore collectum; Imperatorum Regum abundè inuenies correctiſſimos Pontificum haut ſcio an vllum. ac ſic rem, vt ruditer dicam, aggredere.

Julius Cæſar. fingas in primo loco Iulium quendam depictum tibi antea notum, vt Iulium Epiſcopum Herbipolenſem

ſem, vel Cęſarem, vt Cæſarem Baronium, vel alium quempiam hominem hiſce nominibus tibi familiarem magnam copiam Iuliorum numerantem, ac varias in partes coniicientem. Iulius enim eſt nummus Florentiæ octo, Romæ decem valens ſolidos, à Iulio Pontifice excudi iuſſus. vnde & alij eiuſdem pretij aliis Pontificibus excuſis Iulij in Italia alibíq; paſſim malè, vt mihi ſemper viſum fuit, appellantur.

Auguſtus. Conſtituas in ſecundo loco Auguſtum quendam tibi facie notum, aut Auguſtinum nonnullum, aut Auguſtinianum monachum Imperiali habitu indutum, ſed thorace priuatum, vt hinc medium ex Auguſtiniano ſuperfluum aduertatur, quamquam hoc ſatis ipſa electio mentis aduertet, vt hîc vſque adeo ſcrupuloſum, vt loquũtur eſſe non liceat.

Tiberius. In tertio loco, id eſt, in medio parietis imaginaberis Tiberium, vel alium quendam ex tuis neceſſariis in Tiberi flumine natantem, ac ſi facillimè Tiberim intuens ex cognatione nominis Tiberium Imperatorem in mentem reuocabis.

Caius. Pro eo ſi nullus hoc nomine

notus ex tempore occurrit, ponat linguâ Gallicâ vel potius Lugdunensi eruditus *vn Caion.* Nam *Caion en Lionnois est porc en François.* aut *cane, ou canart* id est anatem caput in iusculum immergentem, vel Belgicâ *en Ka* auem, vel demum Caim fratrem suum Abel enecantem, ac sic semper quísque se in sua, vel quacúnque tandem poterit, iuuabit lingua. Vnde & variarum linguarum, scientiarum, artium, historiarum periti, multò ad hanc artem cæteris aptiores sunt.

Claudius. Si nullus Claudius in promptu sit, nam hæ imagines semper aliis, si fieri commodè possit, præferendæ sunt. hominem claudicantem tibi frequenter obuium, vel ianuam cum impetu claudentem in fine primi parietis ponas, ac deinde quam potes celerrimè te ad totum reflectas parietem, quo feliciter peracto, in operatione ad primum locum secundi parietis progredere. sin alicubi erraueris errorem cognitum corrigas. Cognitio enim errorum vt est principium salutis, secundum S. Aug. sic in disciplinis principium scientiæ iure optimo dici potest.

Nero. Ponas hominem crudelem, atrocem

cem,truculenta facie,pallida,toruis oculis,aſpectu terribili, qui matrē propriam trucidat, aut capite plectit, hæ actiones affinguntur vt imagines (quod vult Cicero) ſint viuentes & memoriam facilè excitantes.nam duo capitales hoſtes ſunt memoriæ,vt inquit Alſtedius. Confuſio ordinis & debilitas impreſſionis.

GALBA. Mulierem gallam cum electione mentis b in l. mutatum eſſe;vel feminam albam ſpeciéq; decoram crinibus abſciſſis, vt hinc tibi ſubueniat primam literam abiectam.in ſimilibus imaginibus efformandis,quamuis feliciſſimè ſe verſatum fuiſſe iactitet in ſuo Phœnice P. Rauennates,ac Cicero,Romberch aliique vtiles eſſe teſtentur: ego tamen tibi auctor ſum,vt hîc quam maximè tibi temperes,ac te Iſocratis pręcepto conformes,inquientis. τὰ ποιεῖν αἰσχρὸν ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν.

Otto. Reuoces in mentem Ottonem vel alium hominem notum, figurā arithmeticam 8, calicem, ocularia vel ſupercilia,clepſydram, aut potius clepſammū manibus tenentem; vel ſertum vinculumque pilei contorquentem, vel ferreo illo inſtrumento vitra decurtantem.

Vitellius. Vitellum oui, vel vitulum paruum, hunc à Milone geſtari, illum ab homine illo impio Nouiomagi in os cõiici (de quo Bredenbachius) tibi imaginare.

Veſpaſianus. Huius cũ difficillimum ſit integri verbi inuenire imaginem, diuiſione vtendum erit, ac *veſpa* trahentem *anum* effingenda in ſubiecto ſecundi parietis vltimo, vel *veſpa* vexantem ac mordentem *anum*, ſed hîc, Si, nullam habet imaginem, & parum admodum refert, cũ duabus iſtis imaginibus viſis facilè ſyllaba intermedia occurret, quamuis, Si, vt dictum per Zie germanicum, trahe, exprimi poterit. Ecce exempla duorum parietum craſſo filo deliniata, quomodo rudiores hanc artem aggredi debeant; eruditiores & artis expertiores alias his meliores ſeiuuandi rationes nouerunt, vel facilè inuenient.

Philos. Hi Imperatores ſatis firmiter memoriæ inhærent, ac eos opinione promptius quocunque libet ordine repeto; obnixè itaque à te peto, vt totum mihi paucis verbis impleas cubiculum, & nullus dubito quin pari felicitate in his futura ſit repetitio.

Philom.

Philom. Hoc facilè per te ipſum efficies,& nullæ firmius inhærent,iucundius infiguntur,certius repetuntur,quam proprio marte inuentæ imagines. quare hoc ſequenti,vel ſimili modo id perficies.

Titus. in primo tertij parietis loco formes Titum quendam tibi facie notum, quo nomine Friſones nonnulli gaudent, aut Apoſtolum Paulum ad Titum ſcribentem, eíque manus imponentem. vel hominem liberali admodum ingenio, qui nunquam quempiam ſine ſpe dimittit,& de Tito Imperatore legitur.

Domitianus. Anus domita,vel humeris geſtantem trahentémque domum.

N*erua.* Conſtituas familiarem quendam alterius corium neruo conſcribentem,aut feminam neruum admodum figuræ A inflexum oſtendentem, vt hinc ex genere Nerua & non neruum dicendum aduertas.

Traianus. Traiani ſtatuam vel imaginem ſi videris, aut vrbem ingentem amplam auguſtam incendio conflagrantem, puta,Troiam.

Adrianus. hominem huius nominis, aut mare Adriaticum,in quo anus tranet.

Antonius. Huius nominis ſatis offen-

des tibi notos, vt minimè neceſſarium exiſtimem, alias inquirere imagines, quo medio, vt dictum, melius inuenies nullum.

M. Aurelius & L. Verus. Marcum quendam auritum, hominem Plinianum, vel aurea catena ornatum, Lucium aſſantem veru, imagineris neceſſe eſt.

Commodus. Vir tibi ſubueniat commoditatibus ſtudens, genio proprio indulgens, ac lecto fere ſemper adhærens arcendus à ſapientiorum conſuetudine ſecundum Homerum οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Pertinax. Hominem qui in diſceptando nulli cedit, ſed etiam atque etiam mordicus adhæret ſententiæ ſuæ, *non quia vera ſed qui ſua.* ideóque ſuperbus, vt inquit S. Aug. lib. 2. Confeſſ. cap. 25.

Iulianus. In vltimo ſubiecto primi cubiculi quarti parietis formes Iulium quendam nomine ferentem, vel ſaccos Iuliorum impletos. aut ſi mauis Iulium cum ano conuerſantem, vel anum iulios, puta, eius nominis nummos, numerãtem.

Audio hîc nonnullos exclamantes, quotus quiſque tam rudis ac rerum omnium ignarus, qui hæc non facillimè

assequatur, ac meliore perficiat modo? estne hæc ars igitur tam nobilis, tam admiranda, tot encomiis deprædicanda. hisce appposité admodum factum Columbæ opponi potest, qui auorum nostrorum memoria primus in Indiam viam aperuisse fertur.

Huic cum nonnulli inuidi ac etiam ignaui obiicerent; id non esse vsque adeo magnum & admiratione dignum vt quibusdam videtur, & se id facilè facturos fuisse, quibus sic occurrit Columba. cum nonnumquam interesset conuiuio, ac similes sermones miscerentur, sumpsit ouum, ac quis omnium id mensæ imponere posset rogauit. cum omnes vnanimiter id se nescire responderent: frāgit Columba ouum mēsæque imponit. ad quod cum omnes acclamarent id nullius esse artificij & se id facillimè facturos fuisse. ita & inquit Columba facilè admodum vobis iam est Indiam patefactam penetrare, sed vos primi, vt & mensæ imponere ouum, id perficere non potuistis. assequeris mentem ni fallor?

Philos. Assequor nec ego, nec sapientum quis vnquam aliquid primis inuentoribus detraxerit. quin imo monet nos

S. Hierony. Epist. 14. lib. 1. Epistol. Vt eorum supercilium vitemus *qui iudicare tantum de aliis & ipsi facere nihil nouerunt*. hæc à te hactenus dicta satis percepisse mihi videor. suntne aliæ præter hæc in nominibus notis memoriæ committendis necessaria?

Philom. Vtique, sed ea omnia recensere, & mihi longum & incipientibus difficilè foret intellectu, sed progressu temporis, ac ipsa exercitatione facilè meliores hæc eadem præstandi inuenient modos. Interim dū in vsu & acquisitione artis versaris. suaserim tibi huiuscemodi exercitationis causa conquirere nomina, quæ præterea aliquam adiuunctam habeant vtilitatem. Qualia sunt si linguæ Græcæ sis auidus, feminina tertiæ declinationis in os, quæ significatione cognosci non possunt, neque à Cleonardo vel alio grāmatico recensentur vt v. g. in primo parietis angulo primi cubiculi ponas;

ἄρκτος, vrsa. διάλεκτος, διάμετρος, mensura, δίφθογγος, λήκυθος, lecythus, ampulla olearia.

κέλευθος, via, κρύσταλλος. νάρδος, herba. πάπυρος. 1. Scirpus, vncus. 2. charta. δέλτος, libellus, tabula.

In

In tertio pariete eiusdem conditionis communia.

ἄτομος, βάρβιτος, & hoc barbitum, instrumentum musicum κόστος, & hoc costum. radix aromatica. πάρταρος φάρος, &c. aut verba ex quibus copiosa admodum generatur proles.

Vt in tertio pariete eiusdem cubiculi colloces verbum ῥέω, quod præter fluo etiam dico significat. Vnde ῥῆμα verbum: ῥῆσις dictum, oratio. ῥητὸς, dicendus, fandus. ῥήτηρ, καὶ ῥήτωρ, Orator. ῥητορικὴ, rhetorica. subintelligitur τέχνη ars. ῥητορικὸς oratorius. ῥητορικῶς oratoriè.

Πειράω, Tento. hinc πειρασμὸς tentamentum. Πειραστὴς, tentator πειρατὴς, prædo maritimus, pirata.

βουλὴ, consilium. vnde βούλευμα, consultatio, βουλευτὴς Senator &c. συμβουλεύω consulto, &c.

ἡ φροντὶς, cogitatio. φροντίζω cogito. φρόντισμα, cogitatio. φροντιστὴς commentator, &c.

φρονέω à radice φρὴν, quod mentem significat. vnde καταφρονεῖν, contemnere. καταφρόνημα contemptus. καταφρόνησις, despicientia. καταφρονητὴς, contemptor. καταφρονητικὸς, ad contemnendum propensus.

ſus. καταφρονητικὸς, contemptim, &c. hinc illud Lipſij πρὶν φρονεῖν εὖ καταφρονεῖν ἐπίστασαι.

Sed in his Scapulam vel Henricum Stephani ipſum conſulito. & ſic omnes radices Hebraicæ Græcæque linguæ breuiſſimo temporis ſpatio tibi familiares reddere poteris, quemadmodum iam in vno cubiculo hæc nomina tibi cognita feciſti.

Philos. Abundè ſatis percepi, quî nomina familiaria quorum imagines obuię ſunt menti imprimantur. at volupe mihi eſſet intelligere qua ratione nomina quorum nullæ imagines inueniuntur memoriæ commendentur.

Philom. Id duobus præcipuè fit modis, quorum primum Græci antiquiores Cicerone 3. ad Herennium teſte, vſurparunt, qui multorum verborum imagines in charta conſcribebant, vti, qui eas ediſcere vellent paratas haberent, ne quid in inquirendo conſumerent operæ, eáque neoterici vocant nomina voluntaria, cum pro iis verbis quæ nullam imaginem habent, aliis imagines facilè habentibus obuias vtimur, & è regione cuiúſque verbi in charta deſcribimus pro

quo

quo id collocamus. vt ſi suboriretur dubitatio aliqua cuius verbi imago eſſet: recurſum noſtrum ad chartam haberemus, ex eóque id perciperemus. huius generis ſunt pronomina, aduerbia, coniunctiones, præpoſitiones, interiectiones, aliáque quam plurima. quidam pro his propria hominum nomina ponunt, nonnulli appellatiua, alij autem & rectè admodum meo iudicio huiuſmodi aſſumunt nomina, quæ vel in principio vel in fine cum eo verbo pro quo ponuntur conueniant. v. g. pro *Tu* aſſumunt tubam, pro *Tibi* tibicen pedibus abſciſſis, pro *Fran* Franciſci caput inciſum, &c. vel primas tantum literas nominorum propriorum ad hæc exprimenda aſſumunt, vt ſi occurrat T: ,*Et*, in loco pone Euſebium, coram quo ſtat Thomas. Si autem Thomas locum teneat, & Euſebius aſtet, habebis pronomen, *Te*, & ſic in cæteris. Vt hæc felicius ſuccedant, ſequentes obſeruandi ſunt canones. I. Si aliquod verbum voluntarium aſſumere velimus, id colore vel alio ſigno diſtinguamus, vt aquilam pro aquila, ponamus eam, quomodo eius fert natura & color, ſi autem pro nobilitate, eam aurei vel alterius cuiuſpiam

coloris

coloris esse fingamus. II. Diligenter præmeditandum in qua arte, scientia, disciplina his vti velimus verbis, ac tunc eligenda nomina magis trita ac obuia in illa arte, eáque vt dictum ordine aduerso in tabellis vel aduersariolis scribēda III. Sedulo memoriæ committantur, vt legentibus vel audientibus illorum aliquod quamprimum cognoscatur esse voluntarium.

Secundum modum disces ex Poëtis, vel aliis auctoribus antiquitate venerandis, qui sic res nullas imagines habentes exprimere consueuêre.

Preces Claudæ, vultu mœsto, strabis oculis, ab Homero finguntur.

Æternitas in quodam Faustinæ numo referebat Matronam quandam, quæ stat, pilam dextera manu tenentem, amiculo perquam lato capite humerorum tenus amictam Æternitatis antrum ignotum copiosius describitur à Claudiano.

Mundus serpente, caudam suam vorante, repræsentabatur.

Annus serpens caudam mordicus tenens ab Ægyptiis effingebatur.

Iuuentus pulcherrima adolescentula, vestibus varios colores referentibus ornata.

nata. floreis certis redimita pingebatur.

Musæ puellari, ac nympharum habitu indutæ finguntur cum variis instrumentis pro artium ratione, quibus præsunt, coronantur etiam variè & florum & frõdium corollis, sed & interdum palmâ, vel etiam pennis versicoloribus, in quorum medio Apollo resideat.

Musæ mutuo inter se manibus iunctæ in orbem choreas ducentes effingebantur, chorago existente Apolline. Alibi pennam habebant in vertice affixam.

Salus effingebatur mulieris forma, in solio sedentis paterámque tenentis. penes quam ara erat, aræ anguis inuolutus caput attollens.

Sanitatis effigies in Antiochi Soteris numismate erat triangulus triplex, inuicem insertus, lineis quinque constans, in quibus Græcè ΥΓΙΕΙΑ inscribebatur. Hygieiæ Æsculapij filiæ simulacrum velatum erat. vndecúnque partim comis, quæ Deæ mulieres detotonderant, partim Babylonicæ vestis laciniis.

Aurora ab Homero coma flaua, & aurata & aureo solio insidens, vestéque aurata induta à Virgilio roseis manibus sidera dispellens, ab Ouidio prodeunte

Phœbo

Phœbo ex oriente, cœli portas patefaciens, quæ recentibus ſint roſis refertæ, ab aliis facem geſtans, currúque vecta, qui Pegaſo alato equo, vel ſecundum Homerum à Lampo, & Phaëthonte trahatur, ab aliis benè mane, vbi fulgens è cœlo extiterit, aërem puniceis roſis, & variarum generum floribus conſpergens deſcribitur.

Laſciuia à Philoxene Erethrio tribus ſatyris eſt expreſſa plenis poculis ſe ingurgitantibus, ſéque mutuo ad bibēdum inuitantibus.

Veritas ab Hipocrate deſcribitur mulier pulchra, magna, ſimpliciter ornata, illuſtris ac ſplendida, cuius oculorum orbes puro lumine niteant.

Opinio ab eodem deſcribitur mulier, quæ non mala videatur, ſed audacior aſpectu, & concitatior.

Veritas etiam effingebatur ex literis græcis, cuius caput ex α & ω conſtabat, collum ex β & ψ & cætera deinceps mēbra ex literis prioribus deinceps ſe ſequentibus, & poſterioribus præcedentibus per ſeriem quandam. Eadem fingebatur virgo, niueis induta veſtibus.

Virtus effingebatur alata, peregrino habitu

habitu vtens,aliquando matronæ ſpecie, quadrato ſaxo inſidentis : aliquando columnæ læuo nixa cubito,dexterâ ſerpentem tenens. Exſtat & maſcula virtus,nẽpe ſenex barbatus,ſtans, nudus clauæ innitens,cum Leonis pelle brachio aduoluta. Alibi virtus adoleſcentis ſpeciem pręfert,ſuccinctè veſtiti,galeam in capite habentis,cuius conus eſt ex pennis : is ſiniſtra eleuata rectæ haſtæ inhæret dextera,quâ & ſceptrum tenet, dextrum genu contingit,quod ſiniſtro eſt eleuatius.nam pede teſtudinem premit, ocreas pedibus induit, & oculos in Virginem quandam quæ eſt è regione,intendit,quæ Honorem adumbrat.

Honor virginem repræſentat,quæ dextram manu haſtam erectam tenet, ex eáque parte vſque ad ventrem eſt nuda,ſiniſtrâ cornucopiæ habet, galeam pede proculcat,caput flauâ comâ eſt ornatum, quæ concinnum in modum eſt aptata.

Ab Alciato purpurea veſte depingitur laurea coronatus. Alij virtutem fingunt præcedere, deinde ad eam Honorem à Cupidine duci.

Voluptas deſcribitur mulier aſpectu pulchra,laſciua,venuſtáque ob fucos,qui-

bus

bus ſe illinit:& à Dante exprimitur balba,ſtraba,pedibus diſtorta, mutilis manibus,pallido colore, quæ poſtea expeditè loqui inciperet,in pedes ſe erigeret, vultuique exalbeſcenti eos colores induceret,quos amor vellet, ab eáque ſe dulciſſimis verbis illiciendum fuiſſe,niſi ſtatim Dea quædam ſancta,atque honeſta extitiſſet,quæ alteri comprehenſæ veſtes abſcidiſſet,ventre ei patefacto,qui maximũ fœtorem ex ſe emittebat.

Terror in Agamemnonis Clypeo leonis capite fuit expreſſus.

Pauor muliebri habitu ad terrorem maximè effictus erat.

Diſcordia crines viperis implicitos gerebat:effingebatur ſupino capite, labris liuentibus, oculis ſtrabis, putridis, humefactis,lacrymis ſubinde fluentibus, manibus incontinentibus,mobilibúſque, gladium intus ad pectus ferens,tenuibus & obliquis innixa cruribus,& pedibus caligine & tenebris ſeu reti circumuolutis.

Eadem à Petronio deſcribitur, ſciſſo crine, cuius in ore eſſet ſanguis concretus,oculi contuſi flerent,dentes eſſent rubiginoſi,lingua tabo flueret, facies draconibus obſideretur,veſtis eſſet lacerata,

& de

& dextrâ cruentâ facem quateret.

Furor effingebatur vultu terribili, & ſanguine conſperſo, qui ſupra thoraces, clypeos, galeas, gladios, aliáque arma ſedens fremat, reuinctus poſt terga catenis.

Victoria dextrâ manu Punicum, ſiniſtrâ galeam continebat. Item vt plurimum alata, volans, virginis pulchræ ſpeciem præferens, alterâ manu lauream, aut oleaginam coronam præbentis, alterâ palmam tenentis effingebatur. Sed aliquando ſolam coronam habens, aliquando cum ſola palma, aliquando etiam cum lauro in manibus.

Eadem aliquando armata, vultu hilaris, ſed puluere fœdata, atque ſudore, cruentis manibus ſpolia, ac captiuos victoribus diſtribuens, effingebatur.

Item pingebatur virago, pexo crine, nudo pede ſuſpenſa & ſtrophio cincta, habens pupillas tectas fluitante veſtem.

Fama mulier effingebatur, panno quodam admodum ſubtili induta, & ſubcincta, quæ tubam inflans, velociter hac illac diſcurſare videtur, alatáque eſt. Vel monſtrum ingens alatum, infinitis oculis, linguis, & auribus præditum, in domorum culminibus aut turribus degens.

Fama

Fama mala cum alis nigris pingebatur, quæ erant ſimiles veſpertilionis alis.

Nemeſis alata fingebatur ſupra rotam, manu gubernaculum tenens. Interdum eadem vnâ manu frenum, alterâ menſuram cubiti tenebat.

Eiuſdem ſimulachro apud Athenienſes corona capiti erat impoſita, quâ & serui, & Victoriæ ſigilla continebantur: in altera manu erat ramus fraxineus, in altera fiola, in qua Æthiopes expreſſi erant.

Iuſtitia deſcribitur à Chryſippo forma & filo virginali, aſpectu vehementi, & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrox, ſed reuerenda. Eadem examine lancis, vel ſtateræ, nunc & ſecurium & virgarum faſce inſignitur.

Iuſtitia alicubi in Aegypto capite mutilata erat efficta. Eandem Aegyptij effingebant per manum ſiniſtram, porrecta palma diſcapedinatam.

Iuſtitia & Iniuria in Cypſeli arca erãt ita exſculptæ: Mulier formoſa alteram deformem ſiniſtrâ obſtricto collo trahebat; dexterâ fuſte cædebat.

Calumniam ſatis prolixè pinxit Apelles

les,in dextera ſedet vir, permagnas habens aures:manum ille protendit accedenti Calumniæ:circum ipſum verò sũt mulieres duæ. Ignorantia ſcilicet & Suſpicio:ex aduerſo Calumnia mulier ornata & pulchra, ſed aſpectu ardens, & in iram ac rabiem concitata,læuâ facem accenſam præferens, dexterâ adoleſcentem quempiam per capillos trahere videbatur,qui manus ambas ad cœlum tendebat ſuperóſque obteſtabatur:præcedebat vir pallidus,impurus,acutè intuens, hic Liuor erat.ponè duæ aliæ mulieres erant Calumniam dirigentes & adornantes,altera erat Inſidia, altera Fraus,à tergo ſequebatur Pœnitentia pullis laceriſque veſtibus induta,quæ retro caput inflectens,flens ac lugens,pudore venientem Veritatem excipere videbatur.

Inuidia effingitur pallida,macra,torruis oculis,dentibus rubiginoſis, pectore virenti,lingua venenata.

Momus effingebatur macilentus, extenuatus,pallidus, ore hians, ad terram deſpectans,quam is bacillo, quem tenebat percutiebat.

Fraus à Dante deſcribitur capite tantum ex Cocythi vndíſ conſtans, vultu

benigno & iustitiam simulante: sed cæteris membris pilosis, & squamis opertis serpentémque referentibus, coniunctis autem multis modis,& infectis variis coloribus.

Occasio effingebatur mulier nuda pedibus,rotæ aut pilæ insistens longos capillos à fronte dependentes habens,cæterum occipitio recaluastra, pedibus alata, perpetuam comitem habens Pœnitentiam.

Cærus pingebatur puer, florentis ætatis, formosus,crinibus sparsis Zephyro, nouaculum in manibus tenens.

Felicitas in Iuliæ Mammææ numismate cernitur fœmina in solio sedens, dextrâ caduceum, sinistrâ grande cornucopiæ tenens.

Eadem à Cebete describitur in eminenti arcis vestibulo sedens in solio,liberali ornatu compta. Sed non accuratè:& florentissimo serto coronata, ad quam omnes quidem aspirant, sed pauci perueniant.

Fauor pingebatur tanquam iuuenis alatus,cæcus,pedibus rotæ insistens,vultu timidus, comitem habens adulationem.ponè autem inuidiam.

Boni Euentus ſimulachrum erat adoleſcentis, dexterâ pateram, ſiniſtrâ ſpicam, ac papauer tenentis.

Amor Lethæus pingebatur, ardentes faces in profluentes aquas inclinans, ac extinguens.

Amores multi ſæpe pingebantur, puelli, pucelli, alati quorum alij faces, alij ſagittas, alij laqueos, alij alia geſtarent.

Calamitas vel Ates. pedibus hominum ceruices calcans pingitur.

Matrimonij effigies eſt hominis, qui collum iugo ſubmittat, & pedes compedibus habeat vinctos. ad quod pulchrè alludit Lipſius in ſuis Epiſtolis. Audio amicum noſtrum in vincula coniectum (ne te percutiam) puta matrimonij.

Hymenæus effingebatur coronatus floribus, & amaraco, dexterâ facem tenens, ſiniſtrâ flammeum, in pedibus croceos ſoccos habens.

Sirenes muliebrem aſpectum habent vmbilico tenus, in poſterioribus partibus piſcem imitantur, aliqui alas addunt, & pedes gallinaceos.

Scylla ab Homero deſcribitur in antro obſcuro habitans, tanquam canis latrans, pedes habens duodecim, colla ſex longa,

capita totidem,& dentium triplicem ordinem,ex quibus virus ſtillare videatur.

Oceanus in curru effingebatur,à quatuor balenis per mare tracto,cum Tritones cum buccinis præcedebant. circumſtabant nymphæ , magnus marinarum numerus ſequebatur.

Ventos effinxerunt cum alis.tumeſcentibus buccis,inflatis,ac ſpirantibus.

Boreas in arca Cypſelli effictus erat Orithyiam rapiens , & pro pedibus anguium caudas habens:huic barba,capilli, ac alæ niue conſperſæ addi poſſunt.

Auſter ab Ouidio deſcribitur alis madidis,vultu tecto caligine, barba nimbis graui,capillis fluidis aqua, fronte nebuloſa,pennis ac ſinubus rorantibus.

Eurus niger effingitur , & ſupra eius caput Sol igneus pingitur.

Floræ imago pulcherrimam Nympham referebat, cui ſertum ex variis floribus addebatur,& veſtis verſicoloribus floribus pingebatur.

Zephyrus eſt forma iuuenili,facie decora,alatis humeris,tempera habens pulcherrimis floribus redimita.

Fluuiorum effigies hominem referebat barbatum , promiſſo capillo, iacentem,

tem, cubito innixum, vel vrnæ incumbentem, cornua etiam in capite gerentem.

Tiberis glauco carbaſo velabatur, & corona arundinea circa tempora cingebatur. In Vaticano corona ex variis floribus, & fructibus contexta eſt redimitus, arundinémque manu geſtat.

Padus taurina facie pingebatur.

Acheloi ſimulacrum brachio innititur, caput habet arundine cinctum, viridi amictu induitur, vnico tantum cornu eſt præditum.

Nili effigies ſupra Crocodilum, aut Hippopotamũ collocabatur circa quam XVI. pueri ludebant.

Vertumni ſtatua floribus, ac fructibus erat ornata.

Charon effingitur ſenex, ſqualidus, incultus, ſordido amictu indutus, nauem conto ſubigens.

Pax mulieris ſpecie efficta erat. Plutum puerum vel ſpicas in manibus tenens, olea coronabatur, vel lauro vel etiam roſeis ſertis.

Concordiam effingebant, dexterâ craterem tenentem, læuâ cornucopiæ, interdum & ſceptrum, ex quo fructus exire

videbâtur:erat autem decora,benè compacta,colorata, gratiosa, & vndíque per omnia sibi quadrans.Eadem duabus tantum dexteris manibus inter se iunctis in Neronis numismate cernitur.

Fides effingebatur tecta, secreta, albo panno velata,cana,&c.

Hæc latius persecutus sum, volens te hoc labore subleuare,& non ad historias, fabulas, picturásque varias vt facit Schenckelius,aliíque,mittere, nam præterquam quod ad nostram artem imaginésque inueniendas vtilissima,etiam per se iucunda lectu,dignáque scitu sunt.

Ea quæ nullas imagines habent imprimuntur præterea ex ratione gestus. sicut amorem duabus figuris, vel characteribus vel lineis se inuicẽ complectentibus : odium ab inuicem auersis disiunctis & diuulsis. Deinde ex homine qui frequenter huiusmodi verba vsurpare solitus fuit,vt si ecce,ecce,ecce,ponendum, pro iis hominem colloco,qui semper illa in ore habet.

Tertio, ex concretis abstractum sicut ex quali qualitatem , vt ex albo albedinem,&c. Sed in his consulas Dialogum de imaginibus.



DIALOGVS II.

De verbis ignotis, ſeu non intellectis.



PHILOS. καθάπερ ἐστὶ φυλακτικὸν σώματος ὑγίεια, οὕτω τῆς ψυχῆς φυλακτικὸν καθέστηκε παιδεία. Vt ſanitas corpus ſic doctrina ſeruat animam. Trita eſt illa ac in ore multorum vſurpata Ariſtotelis ſententia. Quare ego vt corporis ſanitatem tueor, ſic animi integritatem minimè negligendam reor. hæc autem potiſſimum conſeruatur in nouis, & à communi conſuetudine abhorrentibus rebus addiſcendis. Cogito igitur Hæbraicam, Chaldaicam, Arabicam addiſcere linguam, quorum idiomatum nulla verba mihi antehac audita ſunt. obſecro hæc quâ ratione memoriæ tradam?

Philom. Appellantur talia aliis vocabula non intellecta; aliis voces ignotæ ac ſeptem modis in his memoria iuuatur.

I. Occurrentibus vocabulis non intel-

lectis, inquiruntur ſedulo vocabula intel-
lecta familiaria & his ſimilia, eorúmque
imagines ſubiectis imponuntur, vt nos
in non intellectorum vocabulorum me-
moriam inducant. & ſi non omnino ſimi-
lia occurrant, ſaltem quam proximè ad
ſimilitudinem accedentes inueſtigare
coneris. eámque diſſimilitudinem notâ
conueniente in componendo exprimas,
vt ne vlla ſyllaba aut litera vocabuli non
intellecti quoad fieri poteſt memoriam
fugiat, in hoc quo quis felicius verſatur
eo minorem difficultatem in propoſita
materia reperiet.

Diſcrimen duplex eſt vocabuli intel-
lecti & non intellecti, alterum in nume-
ro, alterum in diuerſitate literarum.

Cauendum eſt ne notum vocabulum
pauciores literas aut ſyllabas ignota ha-
beat, plures habere nil vetat, ſi ſigno ali-
quo duntaxat ſuperfluæ literæ indicen-
tur. ſuperflua litera vel in initio vel in
medio vel in fine vocis notæ reperitur, ſi
fuerit in initio imagineris tibi repræſen-
tatum verbum capite truncatum, ſi fuerit
in medio vel fine in iiſdem locis rerum
conceptarum vulnus aut truncationem
concipe. vt pro *Ro* rotam dimidiatam:

pro

pro *Ta* tabulam dimidiam:pro *Bar* Bartholomæi caput incisum. pro *Pi* Hæbraica voce picæ faciem,pro Belgica *Can* sumantur cannarum summitates & sic in aliis.

Diuersitatis literarum alteratio index esto : eáque in initio medio vel fine rei conceptæ fingenda , prout se habuerit locus discriminis literarum.v.g.in capite fiat alteratio , si dictiones primâ literâ differant. Alterationis nomine intelligitur non modo mutatio in qualitatibus, verum etiam additio,incrementum, imminutio. Exemplum mutationis si fingatur rotunda capitis figura in longam conuersa:exemplum additionis vt si concipiantur in capite quatuor oculi , quatuor aures, duo nasi,aut diodema capiti impositum.Exemplum incrementi si cogitetur caput in eam molem creuisse , vt totum corpus adæquet,aut si nasus ocreę figuram & magnitudinem præ se ferat, aut si vultus Historicus clitellis non fuerit absimilis. aut si lingua fingatur esse instar citharæ,aut rictus oris intelligatur talis qualem Martialis describit. Exemplum imminutionis vt si caput hominis fingas æquale castorio , aut cynos orco,

aut prostheto ætij hoc est nodulo, si tibias concipias leporinas,&c.

Alteratio quidem diuersitatis iudicium præbet, sed quæ litera mutandæ substituenda sit scies è nomine alterationis. E.g. si prima syllaba vocis ignotæ sit *Tor* fingas caput torqueri: satis est siue ipsius alterationis nomen siue partis alteratæ, siue alterantis, siue accidentis, inducti aut expulsi initium ducat à litera aut syllaba desiderata.

II. Per diuisionem. si enim nullam ideam vocis ignotæ reperias, diuide eam in duas, tres aut plures partes, idque variè tentabis, donec tandem aliqua ex parte succedat, succedet ferè semper si in prima & secunda mentis operatione sis exercitatus & expeditus.

Exempla sunt passim obuia. vt

Alabandensis. Cognomen Philosophi apud Ciceronem, quod vnica imagine exprimere non potes, multis feliciter. *Ala* pars auium est. *band* lingua teutonica vinculum significat, *ensis* gladium.

Coloniensis. Si sit tibi ignotum vocabulum, duo coloni digladiantes ense constituendi sunt.

Calcariensis. Imaginandus est eques, qui calcari

calcari impoſuit enſem.

Florianus. Anum flori inſidentem in quarto loco ponas.

Archadius. Diuus quidam Arcam Noë dirigens, aut arcam plenam nummis aperiens imaginandus eſt.

Marcianus. Alicuius Marci vxorem vel matrem vnum pedem in cymba Charontis habentem fingas.

Philippus. Phi nota fœtoris *lippus* malus omnibus oris.

Phi malus & *Lippus* totus malus ergo *Philippus*.

Ludouicus. Vicis hominem quendam notum vel puerum ludentem ad mentem reuoces.

Liberius. Liber qui in ius conſcriptum eſt, vel liber cui iuſculum impoſitum imaginandus.

Damaſus. Damam ſui inſidentem in vltimo ſecundi parietis angulo fingas.

Hæc quæ abundè ſufficere exiſtimo primùm in buccam veniebant. tu his meliora facilè inuenies ſi tibi res cordi ſit.

III. modus fit per imaginem alphabeti quo vſus eſt Rauennates, & velut 23. 24. aut 26. literis omnia exprimuntur, ſic nulla dabitur dictio quæ per hunc

modum exprimi non poſſit,ſumimus autem imagines literarum iiſque in locis vtimur pro literis. huiuſmodi alphabetum ex Schenckelio petitum accipe,quia Nicolai Simonis non placet.

Andreas.	Antonius.	Anſelmus.
Bartholomæus.	Bernardus.	Bonauentura.
Cornelius.	Chriſtus.	Conradus.
Dominicus.	Dionyſius.	Dorothea.
Eraſmus.	Eduardus.	Emanuel.
Franciſcus.	Florentius.	Felix.
Georgius.	Gregorius.	Gerardus.
Hubertus.	Hieronymus.	Henricus.
Ioannes.	Iodocus.	Iacobus.
Karolus.	Kilianus.	Katharina.
Ludouicus.	Laurentius.	Lambertus.
Marcus.	Martinus.	Mauritius.
Nicolaus.	Narciſcus.	Nicaſius.
Otto.	Oſvvaldus.	Origenes.
Petrus.	Paulus.	Polycarpus.
Quintinus.	Quirinus.	Quintilius.
Richardus.	Rudolphus.	Rumoldus.
Simon.	Salomon.	Sebaſtianus.
Thomas.	Theodorus.	Theophilus.
Vrbanus.	Vdo.	Vrſus.
Valerius.	Valentinus.	Virgilius.
Vvillebrordus.	Vvernerus.	Vvinandus.

Xiſtus.

Xiſtus.	Xenophon.	Xerxes.
Yuo.	Yda.	Yſembrãdus.
Zacharias.	Zachæus.	Zephirinus.

Quales ſumi poſſunt alterum Sanctorum, Sanctarum alterum: notorum virorum, fœminarum, auium: Aquila, Bubo, Coruus, &c. Piſcium: Anguilla, Balena, Carpio, & licet ſingulis vti ad placitum vel miſtis. Et hic vocatur quibuſdam liber mentalis, ſi tibi non ſint tales perſonæ notæ, notas tibi tales eſſe finge: huius alphabeti imagines ita in promptu habere debes vt nunc literarum, vt quocunque dictato vocabulo, ſtatim in eo loco ad quem peruentum eſt, illę ordine componantur menſæ aſſidentes, vel humi, vel ſtantes, recta quadrata, circulari figura: modo certum ſit à qua incipienda lectio, & tum peruoluendum oculo mentis, quemadmodum literæ corporeis figuris ſcriptæ: quod non exercitati mirum aut fieri non poſſe arbitrentur, ſi quis tamen in hac arte ſcribendi & legendi, vel dimidiam operæ partem collocet, quam in communi lectione poſuit, non vulgarem promptitudinem experietur.

I. V. Fit per diſtinctionem ſyllabarum, ſed has inuenire arduum omnino

ac difficile eſt.procedendum erit in his ſequenti methodo.inueniendæ ſunt imprimis omnes ſyllabæ quod quinque ſequentibus fit modis.

Primò ponuntur vocales,& vnicuique earum ordine conſonantes opponuntur,vt,ab,ac,ad,af,&c. eb, ec,ed,ef,&c.ab Abbas,ac.accipiter , ad.aduocatus, af.affinis,&c.

Secundò.Singulæ conſonantes & vnicuique vocales adiunguntur. Ba,be , bi, bo,bu. Ca,ce,ci,co,cu. Da,de, di , do,du. Ba,baculus,bi,bilanx,bo,botrus,bu , butyrum.Caput,cedrus,cinis, codex, cuculus.Dama,decipula, digitus,dolium, dumus,&c.

Tertiò,interponitur vocalis duabus conſonantibus,vt bab,bac,bad, baf, &c. beb,bec,bed,bef,&c.

Quartò, vocalis poſtponitur duabus conſonantibus,bra,bre,bri,bro,bru , dra, dre,dri,dro,dru,fra,fre, fri, fro , fru , gra, gre,gri,gro,gru, kra, kre, kri , kro , kru, pra,præ,pri,pro,pru,&c. brachium , breuiarium,brif,brot,brut,Belgica,&c.

Quintò. Duabus vel tribus conſonantibus ſubiungitur vocalis aut diphtongus,aliis duabus vel tribus conſonantibus

bus ſequentibus vt plomb, plebs, ſtirps, ſtreidts. quod ſonat prælium lingua Teutonica. Sed huiuſmodi Syllabæ ſunt mõſtroſæ & in raro vſu. ex omnibus itaque Syllabis reiiciendæ tibi ſunt inuſitatæ, ac vſitatis duntaxat inquirẽda ex te vel Calepino, vel Dictionario, nomina ſubſtantiua, ab his Syllabis incipientia, egregias memoriámque facilè excitantes habentia imagines, quæ tam familiaria tibi reddenda ſunt. atque nunc ſunt literæ alphabeti, quem laborem ſi ſubire volueris, facilè huius modi auxilio quæcunque ſubiecto committere, & verbo tenus repetere poteris.

VI. Si tibi primo tot notorum hominum nomina familiaria feceris, quot ſunt conſonantes, & ea à conſonantibus initium ſumant. Secundò duo ordines inſignium comparandi ſunt, quorum nomina principium ducant à literis L. M. N. R. S. T. Tertiò inſtrumenta ſunt præparanda quorum nomina à quinque vocalibus exordium ſumant. Quartò actionum ſeries conſtituatur, quarum nominibus conſonantes initium præbeant.

Quælibet ſyllaba quinque literis cõmodè exprimi poterit, quarum prima

conſo

consonans homine, secunda consonans insigni prioris ordinis, tertia vocalis instrumento, quarta consonans insigni posterioris ordinis, & quinta consonans actione significetur: hac ratione potes cum vno conceptu, vt vocant, insito syllabam quam maximam componere: totam quoque dictionem vel sesquipedalem vni membro subiecti facilè erit adiungere quippe singulas ordine syllabas cum singulis conceptibus insitis eiusdem membri connectendo.

Quando syllabæ è paucis literis constant, non est admodum grauis labor in vsu prioris rationis: enitendum duntaxat est, vt accuratissimè memoria teneas, tot aduentitios & extrinsecos literarum cóceptus quot ad hanc rem opus esse diximus.

Exempla aduentitiorum conceptuum literarum.

B. Brutus. C. Cassius. D. Dolabella. F. Furius, &c. B. Belligerare. C. Cælare. D. Dolare. F. Fodere, &c. L. Laurea. M. Muscus. N. Nix. R. Remus. S. Saccarum. T. Thorax. A Acus. E Ensis. I. Ignis. O Olla. V. Vlna.

VI. Vt imago primæ literæ aut syllabæ

labæ ponatur in loco, ac pro duabus,tribus,quatuorve reliquis, attribuatur actio isti imagini positæ, cuius actionis verbũ in initio sui illas literas exhibeat,vel etiã contrario fiat modo. Vt si *Bra* sit exprimendum, ponatur imago primæ literæ nominis Benedicti qui ranas capiat. Si Thomas easdem capiat habebis *Tra*, si Ioannes leges *ira*. Antonius voluens molam dabit *amo*. Eusebius idem faciens exprimet *Emo*. Manutius terram excolens *Mater* Papa *Pater*. Si Bartholomæus, baculo percutiat aliquem exprimetur *barba*. Hæc verba nota declarationis duntaxat causa posita sunt. Vtuntur namque hoc modo pro re nata,& pro intellectis ac non intellectis vocabulis. Sed meo iudicio non est vsque adeo conueniens, quia tamen à multis traditur, & nihil quod ad hanc artem facere videtur te fugere velim,etiam minus commodos modos intersero, tu ineptioribus neglectis vteris melioribus,vel optimo:sed qui tibi optimus, alteri fortassis minus aptus videbitur:ideóque pro diuersitate ingeniorum, diuersi adducendi sunt modi, quibus eadem res exprimatur.

VII. Qui multis arridet, & de

quo

quo ſuprà, vt magnis literis inſigni colore ſcribantur in locis voces ignotæ, & mentis acie redeuntes per ſingula loca videamus & legamus, quod non tantum ignotis, ſed omnibus non figuratis, vt ſunt voces quatuor partium indeclinabilium, figuræ Arithmeticæ, &c. poteſt applicari, nonnumquam etiam notis, vt cũ nomina propria virorum, fœminarum, ciuitatum, &c. retinenda ſunt. Quanquam hæ literæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, vel aliæ memoriam excitantes eſſe poſſint, tamen mihi melius videtur inſtrumentis harum literarum figurã oſtẽdentibus vti, quæ alter in hæbraica, alter in Arabica lingua addiſcenda ſibi non vulgari adiumento fuiſſe mihi teſtatus eſt, & probatur Ciceroni, vbi inquit. Neceſſarium eſt ſtudioſis literarum ſenſibilium ſimilitudo ſecundum hanc artem excogitata. Tu huiuſmodi alphabetum ex inſtrumentis à Publicio excogitatum accipito. Sed ſi ex benè feriatis fueris, ac huius artis auidus, facilè proprio marte meliùs formabis.

Circinus extenſus prætendit A. teſtudo B. cornu C. ac ſic in cæteris vt in ſequentibus figuris apparet.

Eſt horum inſtrumentorum alia vtilitas vt inquit idem Publicius, quatenus inferius per circulos quadrati diuerſimodè cum ipſis imagines componamus vbi aliæ accommodatiores in promptu non ſunt, *Ait itaque magnam nobis immenſam & pœne diuinam commoditatem rerum & literarum adiunctionem afferre, periculo iam compertum eſt: Caput namque rei cuiuslibet obliqua linea circumductum variabimus figura quadrati. Cùm verò imago in homine: aut obliqua linea ſenſim ducta: aut litera pro orbis cardinibus verſa nouas primis adiiciet figuras vel cum res integræ tractim ductæ comminutæque perſcribendarum partium additamenta nobis ſuppeditabunt. Sagaci enim exquiſitáque arte, verſæ, diuiſæ, tractæ, & adiunctæ literas literis connectent: exitum rerum aperient, atque ſignificabunt. Si enim ad ſolis ortum: terræ centrum literam vertes. B. ad occaſum vel cælum. C. ad medium diem. D. ad ſeptentrionem. F. ſibi iungit vocalis.* Con*ſona eodem ordine ſeruato vocales liquidaſque annectet. Quæ verſibus his cernuntur complexa. Prima tenet centrum. O, cœlum medium diem.* D. *Septem* F. *triones. Omni re curta. O, ſibi fit rotunda. Diuide per altum S. longum per R. crux T. diſtinguit L. M. N. corona variabit.* Complices identidem

media

media diuersa ac varia finges argôlicos enses hiberáque tela: hactenus ille, sed satis obscurè, tu si assequaris mentem, est quod tibi congratuler eius quadratum nitueto.



Possunt hi omnes septem modi ad libitum commisceri, vt altera pars per primum, altera per secundum, tertium, quartum, quintum, sextum, vel septimum modum, prout cuíque optimum factu videbitur efferatur. In his si mediocriter exercitatus fueris (audacter sed adhuc satis temperanter loquor) poteris plures ignotas voces vnius horæ spatio memoriæ committere, diutius retinere, securius quocúmque ordine repetere, quam alius, licet tenacissimi memoria, nulla arte adiutus, biduo, triduoue. huic meæ sententiæ subscribit quóque Cicero inquiens. Neminem vnquam tantam habuisse memoriam naturalem, quin artificiosa præcelleret.

DIALOGVS



DIALOGVS III.

De sententiis seu textu continuo.



HILOS. Percepi satis quî memoria industria & arte in dictionibus notis & ignotis, in vocabulis intellectis, & non intellectis, Græcis, Hæbraicis, Arabicis, vel alterius cuiuscunque demum idiomatis nominibus iuuetur, sed quâ methodo in sentẽtiis, textúque continuo procedendum diuinare nihildum potui.

Philom. Hoc quanquam verbo tenus arduum satis sit, & super his me ternis literis Parisiis mihi datis, alteris 20. Nouembris, alteris 9. Decembris. Anni 1617. tertiis denique ipsis Kalendis Ianuariis Anni 1618. consuluerunt docti cæteroquin viri, qui illud fieri non posse arbitrabantur. attamen quâ ratione id fieri queat ingenio perspicatioribus, politioribúsque satis in Dialogo de Locis insinuatum, & effectui id iampridem non

infe

infeliciter commiſſum in Epiſtola ad Generoſum Dominū Zbygneum Goraiski de Goray indicatum eſt.

Sed quia ſingula verba ponere plus habet oneris quam frugis, vt inquit Romberch. ſequenti methodo vtere, ex cuius diligenti frequentíque vſu aſſequêre, vt paulatim omnia vel propemodum repetas verba.

Principalium vocabulorum imagines ponas in locis duntaxat principalibus: imagines vero minus principalium vocabulorum in locis quóque (ſi opus ſit) minus principalibus colloces. Quæ autem ſint loca principalia, quæ minus principalia diſces ex Dialogo de Ordine. quanquam memoria adiuta principalium imaginibus, etiam minus principalia facilè repetet. ad hoc felicius, maioríque cum fructu perficiendum ſequentes Canones obſerues oportet.

I. Vt quam diligenter ad præcipuam imaginem totius ſententiæ attendas, nec refert an illa in ſe reuera præcipua ſit, an non, modo tu eam pro tali habeas. 2. Studioſè admodum notanda prima cuiúſque ſententiæ dictio, vt ſi redeas ad locum acie mentis, vel præcipuam imagi-

nem videas vel primam cuiúsque sententiæ dictionem. facilè memoria naturalis reliqua suggeret, perinde atque in scholis pueri, si non exactè teneant pensum lectionis, quod tamen aliquoties legerũt si cuiúsque versus primum vocabulum reliquis tectis liceret videre, facilè omnia recitarent, vel quemadmodum in longioribus licet dictionibus, si vnam alteramve literam videas, statim totum vocabulum occurrit, ita & hic fiet. 3. vt singulæ dictiones eodem repetantur ordine, quo vel lectæ, vel dictatæ fuêre. 4. Ne Synonymum pro Synonymo substituatur. nam hic facilis est lapsus, vt satis experientiâ probatum est in D. Adamo Naulio Sacerdote & S. Theologiæ Doctore. hic cum feliciter admodum sibi à Generosis, D.D. Barone de Starhemberg. triginta nomina data ex tempore in frequenti corona literatorum repetiisset, tamen huius Canonis defectum euitare non potuit. & pro verboso, garrulum: pro clemente, mansuetum repetiit.

Philos. Sed quale fuit hoc experimentum, ac in quorum præsentia factum?

Philom. Hoc à Capite ad calcem repetere non recusarem, nisi me longiore nar-
ratione

ratione tibi moleſtum futurum vererer.

Philos. Minimè gentium, ſed rem longè gratiſſimam mihi præſtabis.

Philom. Anno 1617. 28. Aprilis. Contigit vt in ædibus D. Bartholomæi Vincentij Bibliopolæ Lugdunenſis Generoſus D. Gaſparus Baro de Starhemberg & Generoſus D. Henricus Albertus Baro de Limpurg præſentes mihi adeſſent pro ſua quâ in me ſunt humanitate ac à me peterent vt Reuerendum Dominum Adamum Naulium ibidem præſentem rogarem, ſi ipſi commodum eſſet aliquod experimentum artificioſæ memoriæ in illorum præſentia dare. adij ipſum, ac vt ne hoc mihi recuſaret petij, ipſe ſe promptum ad quæuis officiorum genera & ipſorum & mea cauſa eſſe reſpondit. quid plura Generoſum D. Baronem de Starhemberg adoleſcentem humanioribus ſtudiis ac philoſophicis probè eruditum conuenio, ac promptum D. Adami Naulis nobis obſequendi ſtudium indico, ſimulque eundem Generoſum Dominum rogo, vt aliquot mihi abſente D. Naulio dignetur dictare nomina. vix oſtendi me id velle, cum ipſe audiente Barone de Limpurg, ac vtriuſque Baronis aulæ Præfectis

fectis D. Eberhardo Schultheis, & D. Frenckinck nobili Bauaro multisque aliis sequentia nomina dictare mihi incipit. ego arrepto calamo ea in chartam cõiicio, ac D. Naulio semel tardè ea lego, modumque applicandi cum ipsi ex tempore non occurrebat suggero. Generosis Dominis Baronibus aliisque coram astãtibus papyrum in qua cum numero arithmetico nomina conscripta erant reddo. Ipse exorsus loqui prorsus omnia eodem ordine, nullibi hæsitans, nusquam subsistens summo omnium cum applausu à principio vsque ad finem, ac vicissim à fine vsque ad principium rediens, repetit. deinde quod quintum, quod duodecimum, vigesimum & sic in cæteris esset vocabulum rogo. ipse pari felicitate, ac nullibi nisi in dictis duobus synonymis, quod coram astãtes parui faciebant, errabat. Hæc tibi referre nollem mendacii suspicionem reuertens, nisi prædictos Generosos Barones, & Dominos testes haberem, ac præter hos vnicè mihi dilectum nobilissimum adolescentem D. Rudolphum de Trauersis. D. Ioannem à Moneria Doctorem Medicinæ D. Bartholomæum & Ioannem Paulum Laureũ fratres,

tres, eorum denique Ephorum D. Not. Ludouicum à Castelmur Theologum virum ob singulares virtutes mhi acceptissimum, multósque alios quos hîc omnes recensere nihil attinet.

Sunt autem hæc nomina quæ à Generoso D. Casparo Barone de Starhemberg dictata ac a D. Naulio dicto modo repetita sunt.

1 Crepusculum.	16 Zelotes.
2 Leopardus.	17 Inconstans.
3 Cancer.	18 Factiosus.
4 Proculus.	19 Crassus.
5 Triuium.	20 Hydropicus.
6 Spongia.	21 Clemens.
7 Chirographum	22 Barbarus.
8 Cranium.	23 Raucedo.
9 Cyclops.	24 Zenophon.
10 Velocitas.	25 Seueritas.
11 Prauitas.	26 Conclamo.
12 Ægritudo.	27 Turba.
13 Velox.	28 Leprosus.
14 Morsus.	29 Puerilis.
15 Verbosus.	30 Elephas.

Idem Doctor Theologiæ R. D. Adamus Naulius in Epistola Parisiis 29. Decembris Anni 1617. mihi data hæc verba præter alia scribit.

Quoniam verò, vt ais, in tuo nouo Opuſculo te mei mentionem facere, tuâ quidem gratiâ dignatus es, poteris aliud ſpecimen à me Domino Rudolpho de Trauerſis, & D. Ioanni Petro à Schalchet nobilibus, & aliis præſtitum adiungere, & quidem prima vice cum antea me nunquam in his exercuiſſem; duas conciones, alternis diebus à diuerſis concionatoribus, per memoriam noſtram, acceptas, ſtatim egreſſus ab Eccleſia, integras ſine hæſitatione enarrare potui, & ita feliciter ſucceſsit negotium, vt etiam, mihi profectò crede, eaſdem in ſuggeſtum conſcenſus tanquam proprias recitare nullo labore potuiſſem, dicier minime vereor, &c.

Ac in Epiſtola in feſto Palmarum eiuſdem anni data ſic idem ſcribit Doctor. *Si vera dicenti adhibetur fides: fateor me à D. Ioanne à Papen intra quadrantis ſpatium viginti ſententias didiciſſe, quas quocunque ordine ſine hæſitatione recitare facillimè potui, &c.* Plura huius generis ni Laconicè agere propoſuiſſem tibi ob oculos ponerem exempla. Cum ex Latio hûc primum reuerterer, ſalutandi cauſa me conuenit D. Not. Ludouicus a Caſtelmur, à quo præter cætera inquiſiui, quî ſibi Mnemonicæ artis ſtudium ſuccederet. optimè inquit, ac potius ſexcentis libris quam hac

arte,

arte, vt & aliis dicere ſolitus fui, carere mallem, cui ego nec aurum, nec argentum vnquam popoſci, ſed nihil quam bonis obſequi acq; prodeſſe potius ſemper habui. Memini etiam me olim à ſene quodã audire, qui quinquagenario maior hanc artem addidicerat, iuramentóque ſe obſtrinxerat ſe ſecretum huius artis nulli vnquam patefacturum. Optarem inquiebat me tam felicem fuiſſe, vt iuuenis hanc artem addidiciſſem, lubentíque animo mille daleros magiſtro perſoluiſſem. licet eos vicatim oſtiatímque colligere debuiſſem, ac iam infinitis modis in ſcientiis verſatior eſſem, in quibus tamen nulli erat ſecundus. hic licet iam decrepidus viſúque pœne deſtitutus, attamen adeo firmiter per artem totum Pſalterium Dauidicum memoriæ impreſſerat, vt quoties illum bonum ſenem, quod frequenter admodum feci, ſuper his examinarem. citans verſum quendam; eius numerum in Pſalmo, verſiculum præcedentem & ſequentẽ inquirens. tam promptè feliciterque mihi reſpondit, vt nunquam eum vel in minimo erraſſe, affirmare poſſim. huius exemplo mirificè incenſus fui ad hanc artem: ſed cum iuramento ſe impe-

diri inquiebat, quo minus me huius participem faceret, frequenter preces meæ ab eo repulsam passæ fuêre. Sed breui tẽporis spatio tantum meditando profeceram, vt secretiora huius artis ipsi adhuc incognita notarem.

Philos. Quale obsecro hoc est iuramẽtum, nam multos eo obstrictos intelligo?

Philom. Excogitatum hoc est â nonnullis, qui sibi commodisque suis potius quam Rei literariæ publicæ prodesse student, ac sic vt illud hîc impressum inueni habet.

Ego infrascriptus fateor tenore huius, promisisse in fide boni & honesti viri, pro securitate D. L. N. & hæredum eius, me nemini unquam traditurum sine eius expresso permissu, quocunque prætextu aut colore artem memoriæ, postquam ab illo didicero, totam aut notabilem partem, præterea mea sponte præuiaque matura deliberatione, obligasse meam personam & omnia bona præsentia & futura, idque voluntaria condemnatione ad mulctam quinquaginta aureorum Gallicorum, toties quoties huic contractui contrauenero: ad quam mulctam obligatus ero supradicto N. aut actionem habenti, etiamsi ille vel alius eius nomine non resciuerit. Renunciasse quoque omnibus priuilegiis,

Iuribus

Iuribus, consuetudinibus, exceptionibus huic cõtractui vllo modo contrariis, vllaue in parte derogantibus: omni fraude & dolo seclusis, in fidem supradictorum huic subscripsi, &c.

Sed hic cancellos mei propositi in tui gratiam transgressus fui, non fortassis sine aliorum stomacho.

Philos. Iucundè admodum hæc mihi auditu fuêre. optassem itaque te in hisce commemorandis copiosiorem fuisse, vt veritas huius artis magis elucesceret: quia tamen filum tui sermonis rupisti his contentus ero. Sed velim vt præsentis materiæ exempla quædam more tuo breuiter dilucidéque proponas, vt hinc perspiciam quâ ratione supradictus D. Naulius tam subito viginti sententias memoriæ mandarit, ac quocunque ordine repetierit.

Philom. Schenckelius sequenti ratione hanc arti applicat sententiam.

Princeps sine literis quasi nauis est sine remige, & volucris sine pennis. ponitur nauis in qua stat princeps, cum viro cuius tunica talaris plena est aureis literis, in veste verò principis nulla est, & sic ex opposito legam primam partem: deinde considerandа nauis, in iisque locis in quibus

remiges ſedere ſolent, nemo apparet, ac fertur tardo ac obliquo curſu, quod conſidero non ſine cauſa fieri, cùm alioqui recto & celeriore procedere deberet, & ſic legam ſecundam partem: ex clauo in malo pendebit grus vel anſer deplumatus, & ſic ſententiam 61 literis oculis exterioribus exhibitam ſex tantum imaginum adminiculo, acie mentis legam. Breuius ſic ponas quendam Principem tibi facie notum, illiteratum, rudem, indoctũ, qui vela faciat in naui qua in nulli ſunt remiges, & v.g. gallum plumis ſpoliet.

Vt in mare flumina, ſic in magnas vrbes vitia influunt. Conſtituas magnam vrbem v. g. Romam, Florentiam, Piſam, Lugdunum Gallorum, Lutetiam Pariſiorum, Leodium, Vltraiectum, has enim flumina transfluunt, & vitiis magnitudinéque ſatis nobiles ſunt, in medio huius vrbis fingas mare, in quod vnà cum fluminibus pauones, lupi, canes influant, ſiquidem his animalibus inſinuentur vitia, ac ex vrbi, mare, fluminibus his, facilè tota ſententia occurret.

Tyrannorum verſutia pia fraude diluenda eſt. Reflectas te ad quendam Tyrannum vt Imperatorem Turcarum, qui allaboret

Chri-

Christianam fidem in suo Regno extirpare, vt his occurrant Christiani illi horologia affabrè facta, aliáque dona externa offerunt, vt spiritualia bona conseruet, & ipsis liberum exercitium Christianæ religionis concedat.

Nulla Reipublicæ administratio proderit, nisi verus Deus colatur. In memoriam reuoces veterem Rempublicam Romanorum Idola, falsósque Deos adorantem, ideóque corruentem.

In rebus minimis sæpe res magnæ deprehenduntur. Constituas quendam in litore maris quærentem lapillos, ac inter hos pretiosissimas offendere gemmas.

Peccatum subditi culpa pastoris si tacuerit, reputatur. Colloces in primo secundi parietis loco vel angulo pro principali imagine, parochum quendam in suo officio negligentem tibi notum, qui subditis suis peccantibus astat, digitoque labellum compescat, ac ideo fulmine è cœlo percutiatur. Verum si rationem eandem sententiam variis modis exprimendi intelligere desideres. Ioannem Romberch consulas, qui hanc sententiam, *Itali dant bona verba, sed nec factis verba probant.* Sequentibus variis modis expri-

mit. Ponas,inquit,Thomam Italum, qui abs te summis precibus contendit Artificialem memoriam edoceri:sed nō erat soluendo:vnde eum arguere poteras.

Qui leuiter spondet non multum soluere curat. Cui si addas.

Scire volunt omnes mercedem soluere nemo:facilè hanc sententiam in mentem reuocabis. Itali dant bona verba,sed nec factis verba probant:quæ propositio satis exprimetur si Thomam infidum multa promittentem ex vacuo marsupio colloces in loco tuo cum lingua aurea: quam manu coinquinata,sed retracta atque adunca polluat. Poteris ferè infinitis eiusdem generis modis eandem propositionem ponere:vt si duo constituantur Itali in loco,qui chartam in manu teneāt in quà scriptum sit *per queste sante Dei Euangelie io promettoti darle.* & hāc chartam Germano porrigant. qui sciat Italo iuranti minus credendum quam si nudo verbo promittat: horum figuras vbi inspexeris facilè recordaberis huius propositionis,Itali dant bona verba,&c. Itē ponas duos Italos qui polliceantur multis persuasionibus ex luto aurum extrahere : & ponas ante eos instrumenta alchimi

chimiſtica, & vbi ſciueris eos incaſſum laborare & ſola ſpe viuere, videns botiam cum Mercurio ad ignem eóſque multum circa artem laborare: mox dices Itali iſti aureos promittunt montes, ſed naſcetur ridiculus mus. Quòd ſi ex verbis hanc propoſitionem collocare malueris pone Ioannem Italum in manu dextera fabas habentem quaſi largiturus Virgilio quē eas recipientem læuâ percutiat: Eadem propoſitio inſcriptione aliiſque modis collocari poterit, qui facillimè vſui applicentur, Inſcriptio poterit in artubus viuarum imaginum fieri: quatenus quædam imago in loco conſtituatur in cuius dextera ſit prima ſententiæ pars, in cubito ſecunda, in humero tertia, in capite quarta, in humero ſiniſtro quinta, in cubito ſexta, in manu verò ſiniſtra ſeptimam faciemus inſcriptionem. Vt in hac propoſitione. Itali dant bona verba ſed nec factis verba probant. imaginabór Italum qui in manu dextrâ teneat tabulam in qua ſcriptum ſit, *Itali* literis realibus, in cubito verò hoc verbū *dant* in humero *bona*, in capite vel galero *verba*, &c.

Philos. Quæ dicitur Mnemonica Grāmatica?

Philom. Memoria Grammaticæ eſt, quæ docet aliquid memoriæ mandare per vocem artificioſam ſeu abbreuiationes: huiuſmodi abbreuiationes puta quibus multarum dictionum capitales literæ in vnum colliguntur verbum; ſuntque vel σημαντικαὶ vel ἄσημοι hæ ſunt duntaxat memoriæ cauſa confictæ.

Abbreuiationes σημαντικαὶ ſunt v. g. *Sal* per quod verbum ad mentem reuocant, bene Sentire, Agere, Loqui.

Mors. *Mordet omnia roſtro*
ſeu *Mutans omnes res ſepultas*
per vnam quamque literam alij duo verba intelligunt.

M. *Mutatio mirabilis,*
O. *Omnimoda obliuio.*
R. *Repentina ruina.*
S. *Separatio ſempiterna.*

Tò finis à Gallis hoc modo interpretatum eſt.

Femme ialouſe n'aura iamais ſanté.

Symbolum Maximiliani conſtabat quinque vocalibus. A. E. I. O. V. id eſt, *Aquila Electa Iuſtè Omnia Vincet.* ſic.

HINRICVS Habens Ieſum Nazarenum Regem Iudæorum Cuſtodem Vitæ ſuæ.

Papa. Poculum Aureum Petri Apostoli.

Vel Petri Apoſtoli Poteſtatem Accepit.

ἄσημοι. *Reubau* ſunt omnia tranſcendentia, Res,Ens,Vnum,Bonum,Aliquid,Verum, ſic per *putnipi* omnes ſupra arti applicatæ ſententiæ in memoriam reuocantur.

Romani in inſigne habebant S.P.Q.R. ad ſignificandum

Senatum Populúmque Romanum.

Sybillæ eas literas ad Deum transtulerunt.

Serua Populum Quem redemiſti.

Beda ad Gothorum exploſionem in accommodauit.

Stultus Populus Quærit Romam.

Catholici ſic exprimunt.

Salus Pap*æ Quies Regni.*

Quidam videns eaſdem literas in cubiculo Pontificis primum creati lepidi legit.

Sancte P*ater Quare Rides.*

Cui Pontifex non minus facetè quam iocosè eadem retrogrado ordine legens occurriſſe fertur.

Rideo Quia Papa Sum.

Alius nonnemo Gallus ſic, *ſi peu, que rien.*

Imperatores Græcorum ſimiliter quatuor B.in inſigne habebant,quibus indicatur quod eſſet Imperator. ΒΑΣΙΛΕΥΣ, ΒΑΣΙΛΕΥΩΝ,ΒΑΣΙΛΕΥΩΝ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, id eſt Rex Regum,Regens Reges.

Grecis hoc prouerbium familiare erat τρία κάππα κάκιστα per quod deſignabant tres peſſimas gentes per K.principium ſumẽtes Cappadoces Cretenſes Cilicienſes.

Hunc modum tempore Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti in vſu fuiſſe facilè ex titulo cruci affixo colligitur. I. N. R. I.

Hinc etiam Galli in morẽ habent dicere.

Il y a au monde quatre grand DDDD. qui ſont tout,Dieu,Diable,Dame, Deniers.

Item,Peſte vient de trois fff.*faim,froid, frayeur.*

Sic illis literis A. F. P. R. per quas ſignificabatur. *Actum fide* publica Rutilij: hoſce ſales aſperſit Cicero.

Æmilius fecit,flectitur Rutilius.

Sic quoque per D.M.indicabatur *Dys Manibus,Duce Memoriæ,Deo Maximo* cui hic quoque qualis qualis meus labor dedicatus ſit, quem vt etiam atque etiã præ oculis habeamus Thales vnus ſeptem ſapientum apud Ciceronem lib. 2. de Finibus

nibus nos monet.

A quo haud longè abit Lucianus lib: 1. Epigramma:

ἀνθρώπους μὲν ἴσως, λήσεις ἄτοπόν τι ποιήσας
οὐ λήσεις δὲ θεοὺς, οὐδὲ λογιζόμενος. quod ſic verto.

Fortè latent homines ſcelerata atque impia facta.
At, mihi crede, Deo nec meditata latent.

Hac ratione carmina quoque retinentur, vt per *AIL.*

Arma virumque cano Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus: Lauináque venit
Littora: multum ille & terris iactatus & alto.

Aut vt ſingulæ literæ capitales carminis ſubiectis committantur.

Carmina quæ quondã ſtudio florente peregi.

Tali modo C.Q.Q.S.F.P. poteſt hic verſus quoque ex ſimilitudine collocari vt ſenem quendã Poëtam imaginemur, carmina ſua in charta floribus exornata mõſtrantem. Suaſerim autem in verſibus sẽper vtrumque modum coniungere. Voces hæ artificioſæ, ſeu abbreuiationes vſitatiſſimæ ſunt Cabaliſtis, & Hebræis Grammaticis,

DIALO-



DIALOGVS IV.

De Historiis.

PHILOS. Historiæ, res insignes gestæ. vitæ heroum quî memoriæ cōmendentur, iam pridem ex te percipere desideraui.

Philom. Hoc M. Cicero lib. 3. ad Herennium insinuat, vbi inquit, *Rerum similitudines exprimuntur dum summatim ipsorum negotiorum imagines comparamus.* Primo igitur omnia quæ arti applicare in animo habes redigenda sunt in Epitomen pictorum instar qui vnâ, duabus, tribus, aut quatuor imaginibus frequenter longissimas historias repræsentant. sic res ipsas dūtaxat necessarias aut nudas mente in loco depinges, hoc est, principales tantùm imagines subiecto committes, minus principalibus omissis, quæ postmodum quando repetitio instituenda

est; facilè ex principalibus imaginibus in memoriam reuocabuntur. nam quod hîc te ad verba alliges nihil est, modo tu propriis verbis exornes, flores aspergas. Præcepta, Rhetorices, Logicésque sequaris per sedes locósque argumentorum liberius vageris. Et quanquam Keckermanno hîc non assentiar, qui in Systi. Rhet. sic inquit. Neq; est quod quisquam existimet, vllam memoriæ artem disci posse ab eo, qui non nouit artem intellectus seu artem Logicam, immo vero potest, & quotidiana satis comprobatum est experientiâ, attamen Dialecticam multum adiumenti nostræ arti adferre minime negarim. Secundò necessarium est vt res aptè diuidas, ne quod coniungendum erat separes, & ne quod separandum coniungas, in his quo felicior fuerit, eo maiore cum fructu in hac arte versaberis. hoc assequeris si historias vitásque Illustrium virorum per annos diuidas, vt vides in vita Ciceronis à me in Epitomen redacta. Si orationes, Cōciones in minores maioréſque diuidas partes, & quasi in articulos suos reseces, prout melius eas per imagines exprimere possis. ac Horatij præceptum sequaris quod optimè his

accom

accommodari poteſt.

Quiſquis præcipies eſto breuis: vt cito dicta
Percipiant animi dociles, teneántque fideles:
Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat. &c.

Tertio Mnemonica Poëtica in hiſce memoriæ mandandis tibi adiumẽto eſſe poterit, de qua poſtea, interim aliquot hiſtorias arti applicemus.

I. *Memroth. Geneſ.* 10. 11.

Hanc hiſtoriam ſi obſeruare deſideres, ſiue quemadmodum hîc deſcripta, ſiue vt à Concionatore, Oratore pluribus verbis exornata, & dilatata eſt, eam duabus aut tribus duntaxat magis principalibus imaginibus ſubiecto committes: Vt in hac, ſi filios Memroth altiſſimam turrim ædificantes, diuerſo idiomate loquentes fingas. Facilè ex tribus imaginibus totam hiſtoriam repetes quæ aliquot centenis verbis conſcripta, vel ab oratore Chriſtiano narrata fuit. Non enim hîc requirimus ſeruilem ac puerilem memoriam, quæ ſe alligat ad verba, ſed liberam quæ non tam ῥητὸν, quam διάνοιαν, vt loquitur ille, ſpectat.

II. Da-

II. *Daniel. Dan.* 1.

Conſtituas in ſecundo loco ſecundóque angulo adoleſcentem tibi notum rubicunda floridáque facie, Danielem nomine, cui ſapidiſſimi, dedicatiſſimi, & variis aromatibus opiparè conditi cibi offerantur, ac eos cum edulio ex piſis confecto commutet, &c. Sciendum hiſtoriarum vſum & exercitium, non æque commodè accuratéque ſcriptis quam viua alicuius in hac arte exercitati voce monſtrari poſſe.

III. 2. *Mach.* 3.

Si hîc prædonem ærarium templi Hieroſolomitani compilantem, ac omnia vaſa aurea argenteáque colligentem imagineris, qui ab adoleſcente quodam tibi familiari probatæ vitæ ſiue angelicæ equo albo inſidente flagris excipiatur, ac humi proſternatur. nulla difficultas erit hiſtoriæ ab ouo ad mala repetendæ.

IV. *Machabæi.* 2. *Mach.* 7.

Colloces in tertio angulo, quarto loco principali, adoleſcentes incendio conflagrari ac flammis abſumi, quia præcepta maiorum frangere & tranſire nolunt.

V. *Ananias & Saphyra. Act.* 5.

Ante S. Petri pedes ſi duo cadauera quibus aurum impoſitum eſt videas, to-

tam historiam ad sensus facilè reuocabis.

Sic si eundem S. Petrum vincula rumpentem Act. 2. S. Paulum ex equo fulmine deiici. Act. 9. Christum Seruatorem nostrum à Diabolo cornuto tentari. Matt. 4. S. Gregorium Magnum inter duodecim pauperes Christum mensâ excipientem. S. Nicolaum aurum per fenestras coniicientem mihi dictâ methodo imagineris, duos parietes impletos habebis, & in his ex arte recensendis integram horam insumere poteris.

Mnemonica Poetica est quæ docet rem versibus breuiter includere. iuuant carmina duobus modis.

Primo facilitate repetitionis, quia carmina per se iuuant memoriam, notatâ enim primâ dictione vel litera facillimè mente comprehenduntur, vt Plautus in AMPHITRYO insinuat.

A more captus Alcumenas Iupiter,
M utauit sese in eius formam coniugis,
P ro patria Amphitruo dũ cernit cum hostibus.
H abitu Mercurius ei subseruit Sosiæ. (habet,
I s aduenientis, seruum, & dominum, frustra
T urbas vxori ciet Amphitruo: atque inuicem
R aptant pro mœchis. Blepharo captus arbiter
V ter sit, non quit, Amphitruo decerne. (titur.
O mnem rem noscunt geminos Alcumena eni-

Sic ſumma decem priorum capitum Geneſeos. hoc verſu memoriæ gratia compoſitum, continetur.

1. 2. 3. 4. 5.
Mundus, lex fertur, peccatur, Abelus, Enochi:
6. 7. 8. 9. 10.
Arca fit, intrat, abit, fœdera, Noachidæ.

Secundo modo vt notetur ſententia carminis, & pro illa imago eius collocetur. nam carmina ex ſua natura facilia ſunt memoratu, vt ait Quintilianus.

Metra iuuant animos comprendunt plurima paucis:
Et benè commemorant: ſunt hæc tria grata legenti.

Maiores noſtros hanc Mnemonicam Poëticam magni feciſſe exemplis ſequentibus conſtat.

Decem Prædicamenta huic diſticho incluſerunt.

Arbor, ſex, ſeruos, feruore, refrigerat, vſtos,
Ruri, cras, ſtabo, nec tunicatus ero.

Vel. *Filius Arnulphi ſtans & calefactus in armis.*
In campo magno pugnabat fortiter olim.

Octo libri Phyſicorum his verſibus comprehenduntur.

Eſt de Principiis primus. Natura ſecundum

Cum Causis, ternum Infinitũ essentia Motus
Occupat. in quarto est Tempus, Vacuúmque Locúsque.
Quintus habet species Motus quam oppositus & vnus.
Est de Continuo sextus. sed septimus omne
Quod mouet hoc etiam probat ipsum aliunde moueri.
Excipit octauus primum atque immobile Numen.

Septem circunstantiæ, quæ in actionibus considerandæ sunt, sic exprimuntur.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Hûc præterea reuocantur Mnemonicæ notæ, seu vocabula artificio quodam contextu, quæ literis è quibus constant præcepta in memoriam reuocant. tanta enim est frequentia præceptorum, tanta varietas exceptionum, vt necesse sit memoriam multitudine obrui, nisi Mnemonica ars illi subueniat, nam multo facilius est, quinque decem, vel viginti literas memoria comprehendere, quam totidem præcepta. Huiusmodi voces vel solas vocales habent significatiuas, vel vocales & consonantes simul.

Primi generis sunt voces illæ quatuor,

Ama

Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea, quibus Dialectici ſolent indicare. quæ modales ſibi inuicem æquipolleant. Vocalis A. ſignificat affirmationem modi & dicti. Vocalis V. ſignificat vtriuſque negationem. Vocalis I. index eſt modi ſolius negati. Vocalis E. indicat ſolum dictum negari. Item de Conuerſione.

Ecce tibi ſimp. Armigeros ac, arma bono comp.

Secundi generis exempla habentur apud eoſdem Dialecticos in doctrina de generali inuentione medij, in ea nouem hæ proponuntur voces.

Fecana Cageti Daſenes Hebare Gedaco,
Gebali ſtant, ſed non ſtant Febas Hecas &
Hedas.

Quarum dictionum (tribus vltimis exceptis) quælibet tribus ſyllabis conſtat, ex quibus vltima iuxta ſuam vocalem cuiúſq; concluſionis qualitatem & quantitatem indicat, ita vt ſi vocalis illa ſit A. denotet vniuerſalem affirmantem, ſi E. vniuerſalem negantem, ſi I. particularem affirmantem, ſi O. particularem negantem. duæ priores ſyllabæ indicant affectionem medij ad vtrúmque extremum Concluſionis probandæ, in quibus litera A. ſignificat prædicatum Concluſionis,

cui ſemper præponitur vel B. vel C. vel. D. B. ſignificat medium inueniendum debere eſſe conſequens ad prædicatum Concluſionis. C. denotat medium inueniendum oportere eſſe antecedens ad prædicatum, vt loquuntur. D. repugnans, ſiue extraneum eiuſdem prædicati. Vocalis autem E. in prima vel ſecunda ſyllaba ſignificat ſubiectum Concluſionis cui ſemper præponitur vel F. vel G. vel H. F. ſignificat conſequens ſubiecti. G. antecedens. H. repugnans, quæ omnia ſunt his verſibus comprehenſa.

Dicit A. B. ſequitur. C. præcedit.
E. ſubit. F. ſequitur. G. præcedit. H. ſit extra.

Alij hos ponunt verſus.

Prædicat A. ſequitur B. Præit. C. Dq́; repugnat.
Subiectum E. ſequitur. F. G. præit. Hq́; repugnat.

Eiuſdem quoque generis ſunt hæc quibus modi trium figuratum apud Logicos ſignificantur.

1. Barbara, Celarent primæ, Darij, Ferioque.

2. Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.

3. Darapti,

Felapton, Diſamis, Dataſi, Bocardo, Feriſon.

Vocales indicant quantitatem & qua-

litatem

litatem præmiſſarum & Concluſionis. Conſonantes autem primæ vnà cum M.P.S.Reductionis notæ ſunt.

Bertius in Logica modos primæ & ſecundæ figuræ ſic expreſſit Græcè.

I. Figura. Γράμματα, Ἔγραψε, Γραφίδι, τεχνικὸς

II. Figura. Ἔγραψε, κάτεχε, μετρίον. ἄχολον.

Sed in his conſule Fonſecam, alióſque Dialectices & Logices auctores. quia. tamen huius artis ſunt, ea breuiter attingere mearum partium exiſtimaui. Neque hæc vſurparunt duntaxat in præceptis Logices, ſed etiam in præceptis Grammatices, ipſiúſque Poëtices, ac imprimis in Arithmetica & Algebra.



DIALOGVS V.

De Concione, Oratione, Argument. &c.



HILOS. Reliquum eſt vt de Concione, Oratione, Argumentatione & aliis hûc ſpectantibus coronidis inſtar quædã adiicias: vt intelligam quî hæc tam feliciter à multis repetantur?

Philom.. Si in his quæ hactenus diximus benè verſatus & exercitatus fueris, facillimus erit horum vſus, ſed nonnulla tibi præterea obſeruanda ſunt.

Primò. Vt aptè concionem orationémque diuidas, quod in his propemodum caput eſt. quare benè inquit Ioannes Rõberch: Partitio animum legentis incitat, mentem intelligentis præparat, memoriam artificiosè reformat. diuidas itaque primò in partes maiores, v.g. Exordium,

Narra

Narrationem, eiúſque Probationem, Cō-
cluſionem, ac omnes orationis partes po-
nes in quatuor duntaxat cubiculis, ima-
gines totales (ſic libet appellare ſimula-
chra totius partis maioris) in ianuis cu-
biculorum, partiales verò, id eſt, minorum
membrorum in locis quatuor parietum,
quibus longiſſimam totalem partem fa-
cilimè excipies, ſi vel 20, vel 36 ſecun-
dum Ciceronem, vel 100 in vno cubicu-
lo ſumas locos. Vel ſi Concionem in tres
totales partes Orator Chriſtianus diuiſe-
rit, vt hoc thema. *Tempus eſt iam nos de
ſomno ſurgere.* ſi ad triplicem ſomnum ap-
plicuerit, v.g. corporis, peccati, ac mortis
in primi itaque cubiculi oſtio colloces
hominem ſomno abreptum, ac ſenten-
tias, membrâque partialia quibus hunc
locum exornat in locis minus principa-
libus; in ſecundo oſtio peccatorem; in ter-
tio cadauer hominis mortui modo hîc
inſinuato: ſi loci iſti partiales imaginibus
non impleantur propter totalis partis
breuitatem, ſuaſerim loca illa reliqua mi-
nus principalia vacua relinquere, hâc
enim diſtinctione memoria valdè iuua-
bitur, & confuſio eiuſdem capitalis hoſtis
euitabitur. Inchoabis itaque totalem par-

tem à totali loco, idque etiam in orationibus, quia verò hîc plures partes totales communiter ſunt, etiam plures locos totales præparabis. ac in primo oſtio v. g. infantem, in ſecundo adoleſcentem, in tertio iuuenem, in quarto virum, in quinto ſenem modo de concionibus dicto formabis. Pari ratione in narrationibus quæ ab honeſto, vtili, iucundo, facili ducuntur procedes.

Philos. Si Concionator non proponat, nec diuidat; ſed ſimpliciter textum ſequatur, eúmque explicet, quid faciẽdum?

Philom. Pones conſequenter ſententias partiales in locis, vt ita loquar, partialibus, quemadmodum de ſententiis & hiſtoriis dictum.

Philos. Hæc quidem nullam difficultatem habent, ſi nos ipſi ad populum verba facere velimus, ſed vt alium vel concionantem vel perorantem tam celeriter operando, imaginéſque formando aſſequi poſſimus, mihi neutiquam perſuaſero.

Philom. Hoc poſt modicam exercitationem opinione felicius ſucceder, ſi quis tamen admodum celeriter ſua efferat, & ſufficientem promptitudinem nihildum

acquiſi

acquiſiueris, hæc tibi obſeruanda ſuaſerim, vt imprimis omnes citationes omittas, & gradatim in his collocandis pergas quo vſque ad ſummum apicem perueneris. Deinde oportet duo aut tria loca relinquere vacua, cum mentis electione hoc vel illud in iſto vel illo loco fuiſſe reponendum, ac cum repetendo acie mẽtis impleta tranſibis, ac ad vacua perueneris, efficiet electio mentis præcedens, vt non minus occurrant hæc, atque illa quæ per imagines fuerunt deſcripta.

Secundò. Ordinem bonum ſerues neceſſe eſt. nam ordo eſt ſummus limes ſapientiæ in artibus, vt dicit Alſtedius, immo inquit ordo locorum eſt illorum anima, ab hoc enim pendet ordo rerum locandarum & memorandarum. ac alibi nõ dubitauit eum memoriæ patrem ac animam ſtudiorum appellare. Ordo optimus meo iudicio eſt à me in prima figura Dialogi de ordine pag. 54. detecta. ſin hæc loca non ſufficient. nihil obſtat, quin illâ methodo quam Ciceronis inquiunt pag. 58. depictâ vtaris. at ſi nec hæ figuræ ſat locorum ſuppeditant, primam, pag. 62. deſcriptam adhibeas, in qua viginti quinque in vno pariete, ac toto cubiculo

centum inuenies loca, quæ ad copiosissimam Concionis vel Orationis totalem partem ponendam sufficere existimo, nec vlterius progredieris in vno pariete ni confusionem memoriæ inimicam incurrere velis.

Philos. Argumenta quâ ratione ponam, vt centum quod de D. Thoma passim circumfertur repetere addiscam Syllogismos?.

Philom. Variæ variorum de his sunt opiniones, alij enim inter quos etiam Schenckelius est, putant vnamquamque Syllogismi partem vno in pariete collocandam, quæ ratio mihi non æque commoda videtur, cum centum cubicula pro centum Syllogismis essent necessaria. Alij in vnoquoque pariete vnum collocandum argumentum docent, quæ melior. Alij denique quæ optima, in humani corporis partibus eas collocandas pręcipiũt, ac maiorem vel in capite vel pectore, minorem in dextra, conclusionem in sinistra manu, & si prosyllogismus occurrat, eum in ventrem detrahas. Sed inquiet nonnemo homo, quod si contingat eum cui Syllogismus appositus fuerat locum concertationis aut exire aut

cum

cum alio commutare, & quando defendens ad eum cui Syllogiſmus affixus fuerat peruenerit, aqua ei hærebit, & Syllogiſmum ab homine ablatum, vel alium in locum tranſlatum non inueniet. muſcis hæc tela aranearum texũtur, non nobilioribus auibus, hoc eſt, in ſcientiis eruditioribus qui mentem ſe æque commodè Romam, Venetias, Neapolim, ac Coloniam, modo in his locis fuerit, conuertere poſſe nouerunt, ac ideo non difficilius ab abſente, vel alio in loco ſedente cum ad eum peruenerit repeti poſſe depoſitum.

Vel ſi hoc incommodum pertimeſcas, ecce alius modus qui & mihi magis arridet, facies tibi familiare Alphabetũ propriorum nominum in Dialogo de locis pag. 22. deſcriptum, & his Syllogiſmos tuos affigas, ſic enim & dictum incommodum euitabis, & numerum ordinémque argumentorum probè ſcies. Forſitan magis è re videbitur vnum duntaxat locum pro vno præparare Syllogiſmo, deponendo in vno pariete quinque argumenta.

Vel ſolum medium in quo tota eius virtus conſiſtit, quo cognito facilè totus

Syllogiſmus ad mentem reuocabitur, ſiquidem formalis conſequentia Logico ex medio nota eſt. quare pro hoc Syllogiſmo. *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal.* Conſtituas Petrum tibi notum monſtro ex homine & animali conſtanti inſidentem. Neceſſarium quippe eſt concluſionis & illationis cauſam ſcire, cognitâ autē cauſâ effectus facilè cognoſcetur; ob id enitendum vt medium perſpectum habeas cuius effectus eſt Concluſio: Item. *Omnibus hominibus ſtatutum eſt ſemel mori, Gerardus eſt homo, igitur Gerardo ſtatutum eſt ſemel mori.* Conſtituas mortem, vt vulgo depingi ſolet, haſtâ ſuâ hominem tibi notum Gerardum nomine vibrantem. v. g. fratrem meum huius nominis, qui iam dum magna cum laude, quà humaniora, quà Philoſophica abſoluerat ſtudia, in quibus nulli ſecundus fuerat, magni ingenij florentiſque ætatis, puta octodecim annorum, adoleſcentem, quem lenta tabe conſumptum iam iam ex literis mihi datis intelligo, quibus & ego ſtatim in Patriam à conſanguineis reuocor: quare æqui, boni conſules mihi pluribus tecum agere non licere, imo non poſſe, cùm ob ſummum

mum dolorem quem ex obitu fratris mihi dilectiſſimi contraxi, & quanquam ſciam hos Palladæ verſus quibus monemur homines vitâ functos minimè deflendos.

Προσδοκίη θανάτου πολυώδυνός ἐστιν ἀνίη.
τοῦτο δὲ κερδαίνει θνητὸς ἀπολλύμενος.
μὴ τοίνυν κλαύσῃς τὸν ἀπερχόμενον βιότοιο.
οὐδὲν γὰρ θανάτου δεύτερόν ἐστι πάθος.

quod optimè de beatis dici poteſt, tamen nonnihil naturæ triſtitiæque cedendum, ſacræ paginæ & Sanctorum Prophetarumque nos docent exempla; tùm ob eũdem morbum quo cum iam abhinc propemodum triennio acerrimè decertaui, & nondum omnino ſuperaui. quam ob rem mihi quoque valetudini opera danda eſt, ac omnia quæ huic contraria videntur remouenda; quæ verò prodeſſe amplectenda, inter quæ vel optimum experientiâ ipſâ notaui, loci aërisque mutationem. Nam benè inquit ille & veriſſimum eſt.

οὐ ἔστιν ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

Philos. Itineri te accinctum video, ideoque vnam alterámve duntaxat à te petam quæſtionem, & ita tibi cum ſumma gratiarum actione valefaciam, ac imprimis

quomodo bonam legitimamque formalem consequentiam ex hac arte aduertere possim scire desidero.

Philom. Oportet te omnium modorum imagines in promptu habere in quibus vel argumentum totum reponas, vel ipsam modi imaginem argumento iungas.

Quemadmodum igitur nouendecim sunt modi secundum saniorum Philosophorum opinionem, sic in nouendecim quoque hominibus tibi notis horũ imagines formandæ sunt in capite maior, in dextra minor, in sinistra conclusio.

Quæ hactenus diximus volumus intelligi de propugnatore thesium; oppugnator autem nihil potius habeat, quam obiecta vel loca in cubiculis sumere. Notandum denique diligenter in his ne æquiuocationis vitium incurras, ne conceptum insitum pro aduentitio, signum pro signato ponas, vt illi contigisse dicitur, qui cum pro argumenti propositione maiore posuisset leonem, & pro minori vrsum, responsurus dixit, nego leonem & concedo vrsum, volens dicere, nego maiorem & concedo minorem, sic multi nõdum exercitati falluntur, & dicunt Ioannes

nes manus v.g.pro Ioanne V. Pontifice, lapidem pro petra,&c.

Latiùs hîc quidem agendum eſſet, exẽpláque adducenda, quî pſalmi, Coniugationes, omniumque ſcientiarum ac diſciplinarum præcepta arti applicanda eſſent. Item qua ratione loca imaginaria comparanda formandáque, ſed hæc aliud tempus, aliumque tractatum non minus verboſum poſtulant.

Philos. Quomodo fiet vt orationem, Concionem, aliáque celerrimè prolata calamo aſſequar?

Philom. Tribus modis vt docet Schenckelius, Prælectione 7.pag.29.

Philos. Cedò quibus?

Philom. Primo poſtquam materiam terminóſque eius rei quam ex dicentis voce deſcribere deſideras, intelligis, vnam alteramve duntaxat literam longiorum dictionum ſcribes, ſpatio relicto aliis poſtea ſupplendis, quod iis haut difficile erit propter recentem memoriam, qui ſtatim inſtituunt repetitionem.

Secundò, vt abbreuiationes eius facultatis colligas, cuius materiam excipere animus eſt, qui vt à communi vſu non eſt remotus, ſic magis arte perficiendus

erit, describendaq; sunt vocabula quamplurima, è regione abbreuiationes ponendæ, eæque memoriæ concredendæ, quo facto haut difficulter perorantem assequeris.

Tertiò, fit id per signa, & ea ratione quâ iam dictum ordine describuntur, vnicuique suum opponitur signum, deinde pari ratione memoriæ committuntur. Sufficient autem 100. circiter signa, quorum vnumquodque vigesies variabitur. vt O obedientia, O obedire, O obediens, O obedienter, &c. licet etiam hos tres modos pro re nata miscere.

Philos. Contrariorum eadem est scientia, posteaquam itaque de Memoria Artificiosa egeris, de obliuione siue abolitione imaginum paucis quoque agas necesse est.

Philom. Quando ita petis & vis; breuissimè de euacuatione locorum agam, non de Obliuione, cùm hanc prô dolor plus satis omnium Parens Adam docuerit, vel in mundum ob lapsum introduxerit, ita vt minime necessarium arbitrer artem obliuionis cum alio Illo expetere, nisi fortassis in rebus malis pessimísque consuetudinibus obliuiscendis. Loca itaque

impleta si sint, ac in iis alias materias col. locare tibi cordi sit. ea sequentibus modis euacuanda nonnulli docent. 1. vt interuallo temporis euanescere sinas imagines. 2. animum ab iis auoces. 3. transiens cubicula, parietes, locáque, ea vacua, vt ante fuêre consideres. 4. persuadeas tibi ianuis fenestrísq; apertis omnes propter vehementissimam ventorum procellam exortam remotas. 5. Imaginare ancillam cubicula purgasse, ac vna cum pulueribus imagines eiecisse. 6. fingas furore percitum hominem, comitante armata corona militum, ciuitates, domos, cubicula occupasse, alias imagines vulnerasse, alias internecioni dedisse, præ timore alias per ianuas fugam quæsiuisse, alias per fenestras præcipites se dedisse, ita vt nullæ reliquæ permanserint. ridiculi quidem modi, sed magnis in hac arte viris imo ipsi Principi Latinitatis vsurpati. 7. qui meo iudicio est optimus, vt tapeta vel pannum parietibus opponas, sicque imagines tegas, ac super hæc tapeta aurea, argentea, rubra, flaua, &c. alias colloces imagines, qui illud præterea commodi adiunctum habet, quod imagines in parietibus inferioribus, tapetisque posita

quamuis tectæ, tamen ſubſiſtant, vt deletis vel non deletis eſſe liceat.

Philos. Mentio à te facta eſt in Epiſt. ad Gener. D. Zbygneum Goraiski de Gorai de arte quadam plures ſimul materias diuerſis amanuenſibus dictandi, obſecro & hunc mihi communices.

Philom. Quatuor cubiculis v. g. ex arte impletis, firmitérque memoriæ infixis, ſic rem aggredere, priori amanuenſi dicta quæ primo parieti primi cubiculi commiſiſti, alteri dictato quæ primo parieti ſecundi cubiculi affixa ſunt, tertio quæ primo parieti tertij cubiculi, quarto quæ quarti cubiculi quarto parieti commendaſti, &c. reuertere poſtmodum ad ſecundum parietem, vel etiam locum (ſi ſententiæ vel hiſtoriæ ſint) prioris cubiculi, deinde ad ſecundum parietem ſecundi cubiculi, & ſic alternatim per cubicula, parietes, loca deniq; pro re nata diſcurrendo fies voti compos. Res ſanè facillima, quæ tamen Iulium Cæſarem toti mundo celebrem admirabilémque reddidit.

Habes mi amice quinque Dialogos tàm theoriæ, quàm praxios, non ſolum quia ſunt Introductiones in artem Mnemonicam,

monicam, quemadmodum in artem intellectus quinque vniuersalia. Sed quia hic numerus extra omnem controuersiæ aleam optimus,ac memoriæ accommodatissimus est. & quod caput quia in honorem quinque sacratissimorum vulnerum Domini nostri Iesu Christi Seruatoris ac Redemptoris compositi ac tibi communicati,in quæ omnia mea scelera & ἁμαρτήματα, tanquam in immensum illud infinitique pretij pelagus proiicio, vt ab eo absumantur & deleantur, ac vt hos omnis salutis nostræ,sapientiæ,scientięque fontes etiam atque etiam in actionibus nostris præ oculis habeamus, imo in iis nostra loca capiamus figuram M. quidem negligentes, sed tamen eius ordinem in his seruantes. quare apposité admodum ille dixit,licet à fide Christiana alienus, Artium studia fere reconditis, atque abditis è fontibus hauriri. primo itaque in pariete Christum Dominum aureæ cruci affixum, in secundo argenteæ,tertio rubræ,quarto viridi imagineris. quâ methodo Christiano homine digniorem, confusioni magis inimicam, distinctioníque amicam, siue conceptus insitos,siue nostram sequaris methodum inuenies

inuenies nullam. quem numerum ordinémque ideo à Christo Domino electum autumo, ne vnquam ex animo nostro euanescerent eius sacratissima vulnera, sed in iis omnem thesaurum sapientiæ, scientiæ, omniarúmque artium ac disciplinarum haberemus. Ecce librum non septem vt ille, sed quinque sigillis pretiosissimis signatum, quem mortalium adhuc aperuit nemo. καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος. & securè cum eodem Apostolo dicere poterit. τοῦ λοιποῦ κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω· ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω. ὅτι δι' αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

MEdicamentis memoriam nonnulli emendare conantur, ac nimiam eius humiditatem tollunt.

I. Per *pilulas Cochias cum ambra, & aliquot guttulis olei de succino albo.*

II. Vt reliquas superfluas humiditates consumant, hæc ab iis adhibentur. 1. ex herbis. *Ros marinus, Maiorana*, La*uendula, Melissa*, item *Nasturtium* quod reddit industrios. 2. ex seminibus. *cunebæ & coriandum præparatum.* 3. ex radicibus *pyretrum.* 4. Ex aromatibus, *nux muscata, macis, gariophylli, cardomomum, gingiber conditum, sed modico thure mixtum,* quod sensibus & memoriæ magnopere potest, & *calamus conditus* aliáque aromata. Atque ex his variæ medicamentorum formæ parari possunt; probantur tamen formæ solidiores. Liquidæ enim citius perfluunt, nec ad cerebrum exhalando perueniunt, *pulueres igitur & electuaria aliis formulis merito præferuntur.*

Puluis crassus pro masticatione talis est.

℞. Seminum cubebarum, Masticis, Thuris an. ʒ. ij. Radic. pyretri ʒ.j. Cariophylorum

phyllorum ſcrupul. 2. miſc. fiat puluis groſſus.

Alius temperatior minúſq; exſiccans.

℞. Cubebar. aniſ. fœnic. Meliſſ. Pœon. an. ʒ.j. fiat puluis.

Electuarium plurimum conferens.

℞. Conſ. flor. lauend. Maioranæ, Antos, Meliſſ. an. ʒ.j. pulu. cubebar. pyretri. an. ʒ.j.ſ. Rad. pœon. ʒ.j. Syr. Borag. q.ſ. fiat electuarium cum g.v. Ambræ.

Gratolorus ſequens Electuarium mirum in modum deprædicat.

℞. Zingib. Galang. Maſtic. Cumin. Origan. an. ʒ.vj. Nuc. muſc. cul. ar. Aſari. Cubebar. Ligni Aloës. Macis. ſem. Apij. Ameos. an. ʒ. ij. Thuris Gatioph. Cardamon. Zedoar. pyretr. Caſtor. pip. long. & nigri. Cyperi, mentæ ſic an ʒ.v. cum melle fiat Electuarium.

PETRVS

PEtrus Forestus libr. 10. obseruat. 32. præclara commemorat memorię subsidia: vbi inter alia scribit hunc fere in modum.

Quod ad medicamenta attinet, materia pituitosa prius concoquatur, præparetur, demum euacuetur. Parabis cùm decocto betonicæ, sampsuchi, saluiæ, rorismarini, foliorum lauri, hyssopi, thymi, serpilli in aqua vel mulsa decoctis, adiecto melle rosʃ. oxym. syr. de betonica, e stœchade. Deinde purgabis cum pilulis cochiis, vel aggregatiuis cum agarico, vel adiectis trochisc. de agarico. Mox etiam ad cerebri purgationes particulares vteris apophlegmatismis ex mastiche, vua passa detractis vinaceis, zinzibere, pyrethro, adiectis aut nigella aut cubebis: ex quibus mansiles pastillos conficies. Etiam errhinis liquidis ex succo betæ, sampsuchi, & succi brassicæ, vel si validius quæras, ex succo cyclaminis vteris: vel sternutatoriis ex elleboro albo, pipere, castoreo, diuisim vel coniunctim. Post crebriores purgationes præcedentes, si opus est, deuenies ad confectionem anacardinam aut auream Alexandrinam, mithridatum, diambram, theriacam cum aqua mulsa aut pauco vino albo ad ℥. j. interea ad irrigationes externas, quas

Græci

[illegible]βροχας *vocant, deuenies, ex decocto her- barum prædictarum, adiectis flor. chamomillæ, e stœchade, addendo castorei exiguum & acetum. Valebunt & vnctiones partis capitis posterioris, in occipitio videlicet ac iuxta primam & secundam vertebram, ex oleo nardino, costino, nucis muscatæ, de castoreo, vel de piperibus. Pariter & sacelli approximandi ex herbis capitalibus iam dictis & exsiccatis adiectis castoreo, nuce muscata, macere, mastiche, ligno aloe, & similibus.*

Eodem in loco recitatur experimentum siue arcanum Ioannis Tyengii & Nicolai Florentini, quod valet ad memoriam diminutam, vel aliquo modo deperditam.

Intentiones curandi variæ sunt pro caussarum varietate. Nam in defectu caloris cum intemperie frigida & sicca agẽdum est humectantibus internis & externis. Internis, frequenti vsu lacticiniorũ, præcipuè butyri, commendantur *cerebella* animalium, sed præcipuè turturis, & perdicis, *oua sorbilia*, vinum moderatum, somnus longus.

Extrinsecus *balnea* conueniunt *aquæ dulcis, lotio capitis ex lacte, iure castrati*, in quo bulliant *malua, althæa, chamomel.* His succedit

cedit

cedit inunctio ex oleo *amygd. chamomel.* mistis cum pinguedine *anatis*, *anseris*, & *medulla cruris bouis.*

Ex medicamentis conueniunt cõseru. borag. bugloss. & confectiones omnes ex amygd. & saccharo confectæ.

Quod si intemperies sit humida absq; materia, agendum siccantibus, & calorificis internis & externis: Interna multa quidem sunt, vt Theriac. Mithrid. Castor. Sed præcipuum obtinet locum anacardina confectio, cuius dosis est ʒ.j.4. hor. ante cibum, postque assumatur aut vnc. semis *aquæ ardẽtis*, in qua si magna sit intemperies, infundatur *piper longum*, *castoreum*, *pyretrum*, *zinziber.*

Si magnus non sit excessus, seu lapsus exhibeatur *vinum odoratum.*

℞. *nuc mosc.* n. ij.
Carioph. n. viij.
Cinnamo. ʒ. semis.
Sacc. dissolut. in aq. maiora. q. s.
M. f. confec. in rotul.

Alij vtuntur hoc puluere.

℞. *Acor. Cyper.*
Oliban. Thur.
Myrrh. Galang.
Pip. long.

Pyretr. an. ℨ.j.

Pulu. Detur ℨ.j. ex vino.

In intemperie nimis frigida vtile & iucundum erit remedium ipse *acorus conditus melle, aut Zinziber, aut radix eryngii, aut pyretri*, præcipuè vero si condiantur melle.

Quod si humiditati connectatur aliquis calor, in eo casu accipienda est Aetii sententia, qui probat vsum *eboris, & cornu ceruini vsti*. Vtrumque remedium datur in puluere a ℨ.j, ad ℨ.ij. in intemperie calida humida.

Extrinsecus occipiti potissimũ admouenda sunt remedia, vbi læsa sit facultas, & habitus memorandi. Toti autem capiti, vbi actus memorandi: Sint hæc quoque siccantia, *vt oleum chamomel: cum castor & synapi*, aut lotio *ex decocto sisimbrij, rorismar. lauend. cyperi, saluiæ, herbæ paralysis, origani, calamenthi, &c. id genus calidis siccis*.

In magna frigiditate *aqua ardens aut simplex, aut aromatibus alterata* poterit huic parti adhiberi. Omitto *dropaces, sinapismos*, de quibus antea dixi.

Vbi adsit *materia*, & ea quidem *pituitosa*, docui hactenus, quomodo ea sit purganda. Dicam tamen & nunc singularia quædam.

In

In læſa memoria cum *pituita* præſentia laudat Aet. vt quamprimum vtamur *hiera Ruffi, & albo elleb.* Non defuere ex recentioribus nonnulli, qui Aetii ſententiam vituperant, quod *hiera Ruffi* nimis violenter agat, & quod paulatim & ſenſim à leuioribus ad grauiora tranſeundum ſit. Sed quod ad primum pertinet, *Hiera Ruffi*, ſicut & P*achii*, & L*ogadii*, quanquam grauia recipiant medicamenta, *vt colocynthidem*, ſunt tamen vſque adeo correcta, vt in fortioribus corporibus abſque noxa adminiſtrentur. Et ſanè poſſunt quamprimum ſuccum peccantem educere, & humidam intemperiem ſiccare. Neque exſpectanda eſt præparatio. Nam ſi humor in cerebro conſiſtens diu hæſerit, aut indurabitur, aut conſimili intemperie ſolidas afficiet partes, vt malum deinceps corrigi nequeat.

Detur igitur *hiera Pacchii ad* ℥.ij.

Aetius proponit vnc. ſ. Ego ſolis ℥. ij. maximas vidi purgationes. Quinimo eadem *hiera* in ead. quãtitate exhibita habet vim corrigendi humidam totius corporis, & cerebri intemperiem. Vnde Aetius ſingulis diebus portiunculam exhibet ad magnitudinem fabæ, v. erit. ſcrup. j.

Si

Si cui hæc minus placeat, detur *confe-ctio anacardina.*

Præparanda erit materia *oxymel. scill. syrup. de beton. compos. de stœchade.*

Et viciſſim purganda non modo à toto, ſed à capite per *gargariſmata, maſticatoria & naſaria.* de quibus diximus alias: hoc tantum dicam in præſentia, in lęſa memoria ſanguinis miſſionem non conuenire, niſi quando factus ſit aliquis abſceſſus, aliquis decubitus à corpore toto, aut parte determinata in ipſum cerebrum, abundante in corpore ſucco ſanguineo. In hoc caſu etiam Chriſtoph. à Vega 3. *de art. meden. c.* 10. ſanguinis miſſionem proponit ſolus ex medicinæ ſcriptoribus, quos ego vidi, alter nullus.

Idem proponit *Naſarium* ex variis naſariis confectum ſiccantibus, quod poteſtis ibi legere apud illum.

In eundẽ vſum faciunt *ſuffumigia* quædã ex *ſtyrace, olibano, thure, myrrha, ligno aloes, addito etiam moſco.*

His addatur *Victus* ratio, quæ habeat vim ſiccandi: propterea ſit tenuis, cœna ſit frugalis: exerceant corpus: fugiãt Venerem: ſomnus ſit moderatus.

Denique Ludouicus Mercatus Medi-

cus Hiſpanus Tomo 3. operum ſuorum *l.*1.*cap.*19. valde grauiter ſcribit de Memoria, eius morbis & ſubſidiis. Hunc cõſule, & feliciter iis, quæ præſcribit, vtere, fruere. *Hæc Alſtedius.*

Philos. Memini frequenter tam in hoc opere quam in aliis de hac eadem materia ſcriptis, inculcatum, vt hiſtorias, conciones, orationéſque longiores in compendium contrahamus more Conſiliariorum Senatorum, ac aliorum quibus copioſiſſimi proceſſus ad Senatum ſunt referendi, hi quippe cum omnia tam breui temporis ſpatio enarrare non poſſint, ea in quibus cardo rei verſatur tribus annotant, & ad Senatum referunt; ita & hîc breuiter præcipuarum rerum imagines loco committendas, minus principalibus vel neceſſariò has comitantibus neglectis, hoc vt me edoceas abs te mirum in modum peto. nam iure peritus non ſum, & in hiſce imaginibus parum verſatus.

Philom. Neceſſarium eſt vt te aſſuefacias integras hiſtorias, res longè latéque diſperſas ac nulla ratione inter ſe cohærentes, vnicâ duabus aut tribus imaginibus exprimere, quod poſt modicam

eámque iucundam exercitationem opinione felicius succedet. Sed accipe exemplar in vita omnium Latinorum Oratorum Principis Tullij à me ante aliquod tempus in compendium contractum ad Ciceronem intelligendum, ad res, historiásque varias ipsius ætate gestas cognoscendas vtilissimum iuxta ac iucundissimum.